THESES PHILOSOPHICAE

Quas, Athenæi Mareſchallani Magiſterii Candidati, quadriennale curriculũ emenſi, Laureâ Triumphali hac vice condecorandi IX. *Calendas* QUINTILIS A.P.D.O.M. publicè propugnabunt horis & loco ſolitis. Præſide ALEXANDRO QUHYTEO.

HAKEW. *Inter Juvenile judicium & ſenile præjudicium veritas corrumpitur.*

SCALIG. *Nihil infelicius iis ingeniis, quæ mordicus ſentiunt majores noſtros nihil ignoraſſe. Non ſufficit ad ſingula ſenſus.*

BIBLIOTHECA REGIA MONACENSIS

ABREDONIIS

E Typographæo JACOBI BROUN Urbis & Academiæ Typothetæ, Ann. Ær. Chriſti, 1657.

THESES PHILOSOPHICAE

Quas, Athenæi Mareschallani Magisterii Candidati, quadriennale curriculũ emensi, Laureâ Triumphali hac vice condecorandi IX. Calendas Quintilis A.P.D.O.M. publice propugnabunt, hotis & loco solitis. Præside ALEXANDRO QUYTEO.

HARLEY. *Inter Juvenile judicium & senile præjudicium veritas corrumpitur.*

SCALIG. *Nihil infelicius iis ingeniis, quæ mordicus sentiunt majores nostros nihil ignorasse. Non sufficit ad singula sensus.*



ABREDONTIS

E Typographæo JACOBI BROUN Urbis & Academiæ Typothetæ, Ann. Ær. Christi, 1657.

Ampliſsimæ dignitatis, prudentiæ ſpectatiſsimæ viris,

D. Joanni Jaffræo.
D. Patricio Moro.
D. Alexand. Skinæo.
D. Gulielmo Graio.

Conſulibus ſapientiſsimis, cæteriſq; laudatiſsimæ Civitatis *Abredonenſis* Senatoribus conſultiſsimis, D. Patronis ſuis univerſis virtutum honeſtamentis decoriſsimis, inſtructiſsimis, conſummatiſsimis. S. I. C. F.

NOvi occupatiſsimam hujus ſeculi rationem quæ, erectioribus ſingulis & in reipublicæ decus natis mentibus, (D. V. potiſsimum in editiſsimo & operoſiſsimo borealis noſtræ Britanniæ plagæ Theatro conſtitutis) feriis duntaxat feriari, & nec ipſum otium habere otioſum concedit, brevitatem tanquam ſymbolũ proprium valvis omnibus quibus cuivis opellæ licitam lucis publicæ indulget uſuram, ſolemni ſchemate affixiſſe. Nec neſcius in quam tremulo convulſu hodie Chriſtianus orbis totus viſceribus ingemiſcit paroxyſmo & quam tremenda iræ divinæ ubiq; ſe pandant & impreſſiũ veſtigia, quamque altiſſime demerſi ſint providentiæ greſſus, ita ut palpemus velut cæci parietem offendimus ipſa meridie tanquam intempeſta nocte. quoniam multiplicatæ iniquitates noſtræ coram Domino, & peccata noſtra reſpondent nobis: imo tam ſtupendo laborant noſtri intellectus glaucomate, ut quæ videmus, non videamus; quæ omnia nequeunt;

Iſai. 59. v. 10. 12.

queunt non quosvis nisi ab omni pietatis & sympathias erga regiæ regis regum Civitatis vulnera sint alieni, vel si erga Deum zeli scintillula minima superviva, & officii conscientia non prorsus explosa, sæpe sæpius voce canora à pernecessariis arcessere, & ciere, ut unice invigilent ejus expectationi, qui faciem suam à domo Iacob operit, & præstolentur eum. Non diffiteor tamen numero plurimos eheu ad hæc omnino cœcutire, & aliis religionem summam esse carere religione, & susque deque habere omnia: θησαυρίζοντες σεαυτοις ὀργήν ἐν ἡμέρα ὀργῆς, καὶ ἀποκαλυψεως δικαιοκρισίας του Θεου: nec desunt, qui lacerati orbis lachrymas suis ponunt in deliciis, quia aliter felices esse nequeunt, quam si omnes fuerint miseri: & eo cordicitus Christianorum negotium mirifice evadit negotiosius, quod perpauci, idq; tarde, manus illi socient auxiliabundas. Et insuper hac tempestate singulariter fiunt auctiores, & indies gliscunt indefessi vestri labores, ex præmaturo & vix unquã satis deflendo obitu Clarissimi Præfecti CULENI, qui vestri celeberrimi Senatus pars magna, perspicacissimæ scientiæ, & consũmatissimæ prudentiæ vir, in omni perplexo negotio expediendo, & difficili nodo enodando solertissimus, civium rixas & litigantium querelas miranda ingenii prolepsi anticipabat: sed mihi tempero, nam etsi (omissis omnibus illi cum aliis communibus,) ea solum recitarem, quæ ita ejus, ut non fuere alterius, atrocissimum civitati huic inflictum vulnus refricarem, & absque dubio gemebunda omnium viscera ex illius recenti memoria recentibus planctuum ictibus verberarem. Sed quamvis sint indubio tum publici tum privati muneris. D. V. munia negotiosissima, & quodammodo ex transverso spississime intercurrentia, fidenter horulam saltem ab hisce cunctis substractam mihi polliceor: in qua profata hæc Philosophica lustrabitis: quod vero sub auspicatissima vestra tutelâ ista publicam anhelent lucem, ratio unice multiplex, & numerosissime una, est ipsa ratio, quam funditus subverterem, si sacra Philosophiæ anathemata rudi & rustico muro appenderem, si ad eorum perfugium eligerem alios, quam vos, in quorum sinu præsidioque latere secure, lucere splendide, pugnare strenue, quiescere cum dignitate possunt. Me non jubente ultro in manus vestras involarent, in quibus velut suo in solo, sua in arce, suis in rupibus acquiescunt. Immarcessibilis Philosophiæ palma quovis pondere pressa, per vos sursum victores attollit ramos: nusquam jacet ea, ubi florenti loco statis vos: nunquam perielitatur ubi auxiliã,

Isai. 8. v. 17.

Rom. 2. v. 5.

Isai. 59. v. 10. 12.

nunquam

nunquam vacillat ubi conſilium porrigitis: ſemper vobis arbitris, victoria, vobis authoribus, fraudis, vobis defenſoribus, periculi eſt ſecura: in vobis ſuum auguſtale ſolidaſſe videtur: publice, omnino publice igitur intereſt, veſtram miram Philomathiam cujus teſtatiſſimo & quodam tenerrimo complexu & eruditos, & eruditionem fovetis, ab oblivionis injuria aſſerere. & licet hujus flagrantiſſimi affectus hodie ſupereſſent indicia nulla, (qua revera apud vos ad uſque miraculum quadantenus & Hyperbolen ſunt maxima omnia) ferarum tamen immanitatem univerſi in alma hac Academia *foti, ſupergredi viderentur, ſi iis beneficiorum cumulatiſſimorum, quibus olim à perhonorifico* Senatu ABREDONENSI *provocati, reſidua ſaltem non eſſet memoria, horum præteritorum præſens vita, & ferax Theſaurium. Poſtquam enim à Celſiſſimo & perillustri Heroe, comite* Mareſchallo, *nunquam & uſquam non celebranda Megaloprepeia fundata eſt inclytæ hac* Academia: *quam illi celeres celebreſque auctus à laudatiſſima & florentiſſima hujus Civitatis jugi munificentia profluxere, & certantia cujuſvis Gymnaſii* Scoticani *faſtigiis decorâ? quæ ſi ſingulatim cõmemorare inſtituerem, librum non epiſtolium expolirem. Quidquod mihi mirifice ſemper placuit iſta ſententia & ſi qua unquam in alia, in hac maxime permaneo, qua non ſolũ ii atro ingratitudinis ſtigmate ſiderantur, qui beneficiis collatis gratiã referre ſtudent nullam, ſed omnes omnino, qui, quibus in viris virtutis exſuperantiam animadvertunt, non eos omni obſervantiâ colere, modis omnibus ornare, omni denique prædicationis genere celeberrimos reddere contendunt: par culpa adulatorum, & eorũ qui perſpectam virtutis præſtantiã ſilentio veſtiunt & occacant: & cum virtus omnis laudabiles & peramabiles ſuos faciat hoſpites, tum ea potiſſimum, qua potiſſimum patet, projectaque eſt, totamque ſe ad aliena cõmoda porrigit; quo in genere juſtitia ſummopere, liberalitatiſque ac munificentia ne ſemel ſuſpecta eſt eminentia: qua vos cum ita ſemper venuſtarent, ut omnem gratiam atque authoritatem veſtram propenſiſſime continuo contuleritis, ad juvandos eos, quibus in ipſis cauſa eſſet aliqua, cur juvari deberent: nullatenus mirum, ſi ita vos, literati omnes certatim obſervent, & admirentur ut veſtra in laude propriam quandam ipſi gloriam quærere videamur. vivit & ſpirat juſtitia veſtris in moribus, ſplendet in fortuna, omnem ſuum nitorem in pectus veſtrum conjecit, ſedet Tribunali, jura Civium tanta opinione fidei erg veſtro dijudicat; ut qui*

etiam

etiã à vobis improbantur, non Iudicem, ſed cauſam exiſtimet ſibi defuiſſe. Poſt velum abſque velo, ex auditis, ac ſi ſine viſu, aquiſſimam perſpicacis ſcientiæ fertis ſententiam: nullum cognationis pondus veſtræ bilancis turbavit unquam, turbat (& ſi fauſto augurio uti fas ſit,) turbabit æquilibrium. Hoc adeo encomium ſi quis immodicum putet publicũ de vobis famæ judicium neſcit: ſi tenue ac jejunum, veſtrũ de juſtitiæ dignitate ſenſũ ignorat: nam quos juſtitia cõmendat, & in vindicandis ſceleribus fortes, & in componendis litibus ſapientes, & in ſublevandis miſeriis clementes, atque humanos eſſe neceſſum eſt. Ubi juſtitia regnat, cæteræ virtutes velut honorario famulatu ſubſerviunt. Univerſa univerſæ præſtantiæ familia illius fidiſſimum eſt ſatellitium: illius etiã ſubſidiis ipſiſſima naturæ Reſpublica ſtat illibata: nec mirum, cum nec Panomphæus Ethnicorũ deus abſque adjuncta Themide gladio armata, lanceque inſtructâ, humana negotia adminiſtrare quivit, juxta Philoſophiæ & poeſeos parentem Homerum: unde gens Indorum, qui Pedalii vocantur, nihil à diis in ſacrificiis quã juſtitiam poſcebant, qua una impetratâ, omnia ſe adeptos arbitrabantur; atque hæc veſtra genuina laus eſt, quod cũ virtutes omnes in vobis ſint planè ſingulares, cõmunes vos faciant omnibus, omniũ utilitatibus addicant, quanquã neſcio quomodo id evenit; ut cum vos velitis eſſe omnium, viciſſim ſe veſtros eſſe omnes glorientur: cum quicquid illuſtre in aliis copiæ largiſſima diſperſit natura, in vobis amiciſſimo fœdere copulavit. Felix Civitas cui vos imperatis! feliciſſimus populus, qui ſuas integras leges legit, integerrimo totius vitæ veſtræ decurſui illiuſque exercitiis tanquã propriis, vivis, & ſpirantibus tholis annexas! At talis proſapiæ & ordinis ſunt veſtra elogia, quæ omnem augendi ſpem magnitudine ſuſtulerunt ſuâ: gravem itaque minuendi metum neceſſarie incutiunt: propterea non excurram, ſed conſultiſſime hic Apellem, vel Polycletum imitabor, qui tanquã inchoatâ ſemper arte & imperfectâ manum trahebant è tabula, ut contra judiciorum varietates ſupereſſet opifici regreſſus ad veniam, velut emendaturo, quicquid deſiderabatur. Neque ſilentii involucrũ multis inductum oblivionis induxit periculum: manent enim cordatis cordibus exarata, quæ certiores ſunt pagina. A veſtris pariter veſtrũm honorum refugis geniis dilatandi ſufflamen experior; ſed vos refugos dignitas apprehendet: cum ipſa hæc titillantis gloriæ deſpicientia veriſſima ſolidiſſimaq; gloria ſupremus ſit apex, vertex, & faſtigium

faſtigium. Eſſe tamen in proverbiis aquilas non aſpicere thripas, me nec latet, nec lapit: peccarem quippe immaniter in veſtri favoris infractã & inenarrabilem erga me exundantiam, & ſtupendam erga omnes humanitatem, qua etiam dando beneficia accipere putatis; ſi ſereniſſimarum frontium, gratiſſimorumque obtutuum, quibus vos Viri Magni hoc exile literarium munuſculum eſtis inſpecturi, & accepturi, vel leviſſima me tangeret ſuſpiciuncula: ex Auguſto Cæſare *etenim didici, indecorum valde viris ſummis quidvis, tanquam aſſem elephanto, vel empuſæ, tremebunda offerre manu: quamvis & offerentis & oblati hujus anguſtiæ, auguſtum adeo patrocinium indubitanter erubeſcerent, ac reformidarent, ſi veſtra eximia amplitudo ſemper honorificentiſſime ſubmiſiis ſubmiſſa ſpei meæ anchoram non firmaret. Rex* Artaxerxes *hauſtam à Perſa Sinata utraque vola aquam, & cum fauſta acclamatione oblatam pergrate amplectebatur: cum ille nihil haberet aliud quod largiretur. Nec munificentius quid apporto ego, quam impexa quædã Philoſophiæ reciſamenta, non ex cura, ſed ex tempore, reſtrictim, & raptiſſime cogitata, Muſeo & Scholæ, non foro & Curiæ deſtinata: idcirco comptulæ & vermiculatæ dictionis, vel teſſellis pluricoloribus variegatæ veneres omnes reſpuentia & abhorrentia; comatus enim omnis ut dicitur eſt cynædus: neque vos ii eſtis, qui colorem & Pompam in hoc officii genere ſitis requiſituri, quod ſpiranti leniter ſimpliciq; reverentia ſincerum ac indelibatum flagrantis amoris dedicat animum: cujus erga Civitatem hanc illuſtrẽ, illiuſq; Patres & Senatores omnes erit hoc perpetuum ἐνέχυρον: quantulus enim ego, quantus, quantuſ-quantus, quantuſper ero, Veſter ero omni obſequio, cultu, honore, votorum ac precum proficuo proventu.*

D. V. Addictiſſimus. & Subjectiſsimus Cliens

H. V. Devotiſſimi Cultores *ALEXAND. QUHYTEUS.*

Alexander Birnæus.	Franciſc. Thomſonus.	Iacobus Sylvius.
Alexander Fraſerius.	Gilbertus Burnettus.	Ioannes Farquhardus.
Andreas Sylvius.	Georgius Quhyteus.	Ioannes Milnæus.
Donal. Mackintoſhi⁹.	Iacobus Cuminius	Ioannes Irvinus
Franciſcus Gordonus,	Iacobus Gregorius,	Robertus Douglaſsius.

THESES LOGICÆ.

Piniosissimorum quorundam vitilitigatorum prolixâ contentionis intertrigine intertrimentum, idq; visceratim, passa est Logica clamosissimum: sit licet indubio scientia proficua, eaque practica, rigido rigidæ necessitatis jure, ad alias scientias indipiscendas requisita; intemeratis utut hisce veritatibus contradicentes falsitates, contra quosvis Celænæo disputandi æstu percitos, sustinere non detrectabimus.

2. Delphinum caudâ ligaret, qui de Logicæ objecto dissecta placita inter se necteret: non mirũ in pervasto adeo campo tam late palabundos invenire: attingit enim Logica omnes mentis egressus, circa omne ens & non ens, & si quid ultra, nec inter hæc universa reperit, quod actu specificante tangit: sit tamen id rectitudo intellectus energiis impressa. Attributionis objectum est quilibet, vel nullus ex scibilibus modis. Datur Ens quod scite definitur per contradictoria. Nævis scatet ista trita hominis definitio, quod sit Animal rationale: sit tamen optima, (quod volumus) hæc prædicatio, Homo est animal rationale, non erit definitionis de definito.

3. Possibile ut impossibilitabile, Impossibile ut possibilitabile, exinde Catholicam Chymærarum licet exiguissimam fæturam soli subtili intellectus enixui debemus. A capacissimo realium ambitu rationis-ratiocinatæ, tum rationis-ratiocinantis distinctio injurie exulat.

4. Secundum *Franc. bonæ spei*, omnia, in omnipatenti universo, in male meritarum negationum clade suæ distinctionis interitum, & æternam confusionem lamentarentur: credat Judæus apella: non nos. *Compton.* & *Franc. bon. sp.* pro realis, & modalis, distinctionis prærogativâ, contraversum luctantibus, dicam grandem impingimus.

mus, impegit quippe hac in re uterque, sibi, & alteri, & veritati philosophicæ colaphum.

5. Ni fellis magis, quam rationis in nos effundendum amarorem vereremur, operosissimam totius naturæ universalis compagem laxaremus, sed consuetudini litantes universale propugnabim⁹, Sitne ens, an nihil, an inter hæc merum, sed mirum medium, sitne nasus cereus, per actum disjunctive, copulative, vel præcise confusum, per præcisionem tantum formalem, an per ulteriorem notitiam comparativã, per solum intellectum, an etiam voluntatem, & sensus ad suam normam flectendus, nostra (in hisce) lex, erit opponentis arbitrium. Et oculis & intellectu utimur, nec magis tamen *Platon.* ideas, quam olim *Diogen.* cynicus cernere valemus.

6. Prædicabilia sunt duo, vel quatuor, quinque, vel bis quinque, & si quis operationum Arithmeticarum pruritu laboret, ex datis numerum numerosiorem dividat, & sic multiplicet, tandem fatigatio fatuitati positura est obicem: nam re vera sunt quinque: prædictos tamen numeros omnes defendimus, attingit cujusvis universalis definitio primam intentionẽ objectivam intentioni formali universalificanti subtstratam.

7. Omne universale ut æquale de æquali prædicator: Prædicabilium igitur in prædicatione distinctio nulla est. Abstracta tantũ sunt universalia, nullum tamen abstractum prædicatur: retinet vel non retinet in actuali prædicatione universale suam universalitatem. Abstrahi potest conceptus communis ab omnibus individuis qua talibus. Nec superiora qua talia de inferioribus, nec inferiora de superioribus prædicari possunt. Species subjicibilis qua talis est universalis. Genus prout est adæquatum definitum in definitione generis salvari potest in unica specie, aliis omnibus impossibilibus. Individuum vagum est proprie dictum individuum, non vero universale. Dantur differentiæ & species communes atomæ.

8. Si status aliquis infra nihil prolixissimè subsideret: ad istum respectu celsissimi ens creatum omne deturbaremus. cæmura tamen inde deduceretur sequela, glorioſissimum Deum à prædicamenti amplexu arcendum: qui in substantiæ prædicamento directè est collocandus: Ipsissimoque ab infinito, & finito substantia & accidente abstrahenda

strahenda est una ratio communis, eaque univoca: Aculeos sine vulnere emittunt, aliter sentientes; Litigia omnia de prædicamentorum numero opposito in apposite gravamus. Abstracta ratio ab accidentibus vulgo enumeratis tam longe ab univocatione recedit, ut nec vere nec fere sit analogica.

9. Levia non sunt diffidia, quæ de relationibus, reculis leviculis, inter summa indies gliscunt ingenia: nobis rationis facula videtur fulgida, qua ex æquo dehiscunt tenebræ, distinctionem, & indistinctionem relationis à fundamento, termino & ratione fundandi obscurantes. Relatio realis prædicamentalis termini existentiam exigit, cum *Arriag. Ovied.* contra *Gregor. Bach. Bon. sp.* &c. Relationes prædicamentales ad absolutum terminantur: contra *Cajet. Medin.* Filium eâdem numero relatione, utrumque parentem respicere, est probabile. Ista veritas, quod post resurrectionem, homines erunt Patres & filii; deferenda non est: Licet eandem præterpropter tueantur *Marialatra.* Datur conceptus unus omnibus relationibus communis.

10. Signum quodcunque respectum involvit geminum, ex quo compositi per accidens fabrica non exsurgit. In signis quæ sunt causæ & effectus, signi & causæ relatio non est eadem. Quodvis formale, at instrumentale, naturale, increatum signum ad creaturas possibiles cognoscendas non respuit intellectus divinus. Signi essentiæ non cõtradicit illius cum signato identitas. Voces vitam intelligenti debent: gratis tamen asserit *P. Hurtad.* loqui & intelligi esse correlativa. Verba hæbraica à quovis istius linguæ imperitissimo prolata essent significativa, renitente *Arriag.* Voces res solas immediate ut signa ad placitum, conceptus ut signa naturalia expoliunt. Idem de characteribus ordinariis, & Hieroglyphicis censendum. Numeros Arithmeticos terminorum syncategorematicorum choragio adjicimus. Num voces audienti quam primo significationem imponenti aliquid perfectius elucidare valeant? quod libet.

11. Actibus variis ab apprehensione, judicio, & discursu distinctis potitur fæcundus intellectus. In apprehensionibus, definitiones, propositiones, imo discursus inveniri, nec ratio, nec experientia prohibet. Divisio in partes actuales non est sciendi modus à definitione diversus. judicium ex subjecti, copulæ, & prædicati apprehensionibus non

 conflatur.

conflatur: sed qualitas est formaliter simplex. Propositio vocalis etiam ab intellectus actu avulsa vere est propositio.

12. Plurimi nusquam magis enormes, quam ipsius regulæ naturâ seu veritatis essentiam ad perpendiculum libellamque revocantes, *Durand. Vasq.* Idolum ab actu & objecto ponunt effluum. Prædicamentalem actus ad objectum relationem esse statuunt *Fravc. bon. spei.* &c. actui identificat *Hurtad.* emerita volumus hæc placita: & cum *Thom. Suar. Compton.* negotii nodum acuratius expedientibus dicimus, veritatem esse actum, objectum prout enuntiatur, connotantem. Actus semel verus in falsum nunquam transibit, etiam omnibus *Suar. Rub. Bon. sp.* viribus impellentibus. Idem actus simul poterit esse verus & falsus. Nullus actus est aut esse potest altero verior aut falsior.

13. Nisu infando, determinatam à propositionibus de futuris contingentibus veritatem auferre satagit *Aristot.* cujus vestigia premens, prudentiæ gnarus *Cicer.* hic ad delirii usq; infamiam imprudenter arguit: in succenturiis est pariter *Socinus* & ut suum Ethnico-pelagianismum muniat, Dei futurorum contingentium scientiam expugnare molitur: à quo Socino-ethniciſmo non longe abhorrent nonnulli *Remonstrantes*, sed divinarum prædictionum irrefragabili authoritate anguntur, uruntur, excruciantur. Potest quis vera dicere & interim mentiri: & falsa dicere & non mentiri. Propositionis divisio in affirmativam & negativam est generis in species.

14. Atticus syllogismorum inquilinus esset conclusio, si postquam ipsa à præmissis illata earum in syllogismi structura suffragiū pelleret, Carpatheus leporem, ut est in diverbio. Superflua ista de consequentiæ bonitate reflexa cognitio, à quibusdam ad conclusionem legitime inferendam requisita, est averruncanda. conclusionis assensus præmissarum attingit objectum. non efficienter; ut statuunt *Vasq. Rubi.* sed formaliter, ut *Val. Hurt.* &c. concurrunt præmissæ formales ad inferendam conclusionem. Assensus præmissis exhibitus intellectui circa conclusionem, indifferentiam adimit; sepositis impedimentis, intellect' nixu simultaneo præmissas & conclusionem proseminat. Syllogismus est optimus, in quo, terminus medius est negativus, & in talibus conclusio subinde est affirmativa, subinde negativa.

15. Sceptici, Pyrrhonii, Academici, & ejusmodi furfures literarii, qui

qui in omni cribratione secreti a lecto polline, operibus multis, ad tineas blattasque jam olim fœlicissime damnatis, omnia demonstrationis & scientiæ fundamenta eruderare contenderunt; sed irrito conatu: vigent enim demonstratiões & scientiæ, licet minime apud eos, qui in qualibet velitatione philosophicâ nihil præter meras ἀποδείξεις crepant. Demonstratio propter quid, & quia, specie distinguuntur Causa virtualis sufficiens est ad demonstrationem, cum *Cajet. Sot. Tolet. Fonsec.* contra *Smig.* &c. Veritas non est perfectio scientiæ essentialis.

16. Insectanter admodum petitionis principii demonstrationem quia, arguit *Avicen.* insigniter tamen demonstratio talis (talionis lege) illius peteret principia. Evidentia consequentis ad rationem scientiæ non requiritur. Dantur habitus scientiarum distincti à specieb⁹; cum *Suar.* &c. vel non dantur cum *Capreol. Socina. Averr. Arriminen. Ovied.* &c. Principiorum habitus a lumine naturali disterminamus cum *Ferar. Smig.* contra *Sot. Durand. Cajet. Bann.* totalem scientiam non esse qualitatem simplicem egregie evincunt *Ocam. Greg. Gabr. Tolet. Suar.* adversus *Thom. Ruvi. Vasq.* &c. Unamne tantum cum *Pic. Mirand.* dixerimus esse scientiam totalem? an plures ut volunt communiter? minimo discrimine refert. Esse practicum & speculativum non sunt cognitionis differentiæ essentiales, cum *Anton. Andr. Lorin.* &c. Ad sua principia consequenter satis inter practicam & speculativam cognitionem medium intersevit *Smig.*

17. Speciosos licet, non spatiosos satis demonstrationi figunt limites, qui ad realia universalia & necessaria eandem coarctant: de singularibus, contingentibus, entibus rationis, entibus per accidens, omnibus demum omnino entibus, dari possunt demonstrationes rigidæ. Eteocleas inter fidem, scientiam, & opinionem protelant lites; *Medin. Can. Valen. Turrian. Lori.* easdem nos componimus, cum *Bonav. Halen. Henric. Bacon. Tanner. Arriag.* &c. & hisce omnibus amicissimum circa idem objectum in eodem intellectu largimur hospitium. Idem de assensu & dissensu concludendum. Imo etiam fidem, scientiam, opinionem, & errorem in eundem numero actum posse coalescere defendimus, qui aliter sentiunt glaream calcant; sic fessi recedunt.

THESES MORALES.

Ariſtotelis cæterique Veteres Philoſophi fidei lumine deſtituti in ſuis de hominis beatitudine rixis idem facere videntur, quod Græci olim qui (*Steſichoro* teſte) pro ſimulachro *Helenæ* inter ſe animoſe congrediebantur, & pugnabant eam veram *Helenam* non noſſent: nam operatio animæ ſecundum virtutem perfectam in vita perfecta vix fælicitatis eſt umbra refuga. Bonum & finis non reciprocantur: nec bonum averſari nec malum qua tale proſequi potis eſt appetitus inquinatiſſimus. Unuſquiſque in actibus flagitioſiſſimis in finem tendit ſimpliciter ultimum. Non poſſe hominē plures fines ultimos ſimul expreſſe inſequi invicte probat *Franc. Le-Rees*. Dum minus bonum eligit voluntas, libertatis protrudit ſpecimen.

2. Objectiva hominis beatitudo eſt ſolus glorioſiſſimus, ille uniſſimus triunus. Formalis ſola eius viſio, cui ſunt plurima ἀξίωτα nexū inciduo juncta. Hominem ablato corporis impedimento naturaliter videre Deum ſtrenuè nugatur & fallitur *Durand*. Num vero dari poſſit creatura? cui Dei viſio ſit connaturalis? pro libito flectat opponens ad veritatis cynoſuram. Tali creatura ſuppoſita, non eſſet impeccabilis; licet ejuſmodi poſſibilis ſit. Viſionem Dei appetitu elicito, non innato deſiderare quimus. Intellectui ad viſionem concurſus immediatus non eſt denegandus. Iniquos nimium potentiæ potentiſſimæ terminos ponunt *Thomiſt.* dum animam abſque gloriæ lumine ad Deum videndum negant elevabilem. Deum à creatura comprehendi repugnat ſimpliciſſime. tenetur Deus, cujus intellectus eſt perfectiſſimus, & infinite intellectivus, cognoſcere objectum omni modo perfectiſſimo: non illud amare omni amore perfectiſſimo. Datur in Deo amor ſtrictus in ſuam tendens naturam, & omnes illius intrinſecas perfectiones cum *Didac. Ruiz. Alarc. Gonzal.* contra *Henric. Faſſol. Albiz. Aureol.*

3. Adamanteis & ferreis fati legibus nullam libertatis humanæ ſcintillulam

ſcintillulam non extinxere *Stoici*. Idem viratio objectorum illectu præſtitere *Cyrenaici*, pro libertate ad actus naturales dimicamus nos: qui vero vel minimum ad actus ſalutares & Deo gratos lapſi hominis arbitrio deferunt, Deo detrahunt: ut fideliter *Bradwardin.* cui depravatæ voluntati timemus nos, cum *Auguſtin.* animarum noſtrarum ſalutem vel ex parte committere: ipſius quoque intellectus regeneratio dicit neceſſario novum lumen intus impreſſum, quo informatus reddatur idoneus ad ſpiritualia ſpiritualiter dijudicanda: nec ſufficit ſola extrinſeca veritatis ex verbo Dei propoſitio, & perſuaſio. contra *Pelagi. Epiſcopi. Arnold. Corvin.* Tract. contra *Tilen.* Mendoſe admodum libertatis ſedem eſſe intellectum illiuſque exercitium judicium practice practicum ſtatuit *Paludan.*

4. Ex radicatione in eadem anima & potentiarum ſympathia naſcitur, ut ad nutum voluntatis prodeat actus potentiæ ſubditæ, abſque influxu imperantis medio in imperatum. Cum *Valent.* q. 4. p. 1. *Monteſin.* diſp. 13. ſect. 4. *Martinez.* q. 9. art. 1. Dub. 3. imperium voluntatis in intellectum non eſt deſpoticum ſed politicum. Nulli dantur actus voluntatis qui nec liberi nec neceſſarii. licet actus appetitus ſit adeo vehemens, ut perſeverans judicium ſufficiens ad objectū oppoſitum apprehenſionem contrariam non valeat impedire, non tamen tali caſu voluntatē repugnantem ad actū duntaxat primo primos determinabit appetitus vehementiſſimos. *Damaſc.* lib. 2. Fid. cap. 22. paſſionem rite explicat; quod ſit motus virtutis appetitivæ ſenſibilis ob imaginationem boni vel mali. Earū undenario ſuffragamur numero: ſitis igitur, & fames, nemeſis, & indignatio, zelus & zelotypia, invidia, verecundia, miſericordia, & ſi quæ alia enumerantur, vel paſſiones non ſunt; vel ad undecem revocamus. Iſtas falce ſtoica qui reſciderit, ſtipitem faciet hominem vel quod pejus ἀπαθῆ. Nimis oſcitanter tamen in ſtoicorum caſtra tranſit *Tull.* 3. Tuſcul. quæſtion. Paſſiones animi morbos nuncupans, naturali objectorum ordine priores ſunt iraſcibilis, concupiſcibilis, & principaliores proſecutionis quam fugæ paſſiones.

5. Virtutis moralis voce & re crebro uſi ſunt, ſed crebrius abuſi Philoſophi dum in ſterili iſta cortice ſcrutabantur, quod in intima

quæsiviſſent medulla: ſed qualis qualis eſt, ſemper reperitur in rationis medio. Prudentia totalis moraliter completa non exiſtit ſine virtutum moralium pleno conſortio. Virtus heroica juxta mentem *Ariſtot.* ſumpta, poteſt eſſe in aliquo abſque aliarum virtutum comitatu. Virtutes etiam quæ operantem reſpiciunt non ſunt in appetitu ſenſitivo; contra *Thomiſt.* neq; hiſce habitibus in voluntate reſidentibus reſpondent aliæ ejuſdem nominis in appetitu ſenſitivo contra *Gabriel.* Natura eſt propenſior ad virtutem quam ad vitium. Vitia non ſunt parta nec connexa.

6. Terricula caſſa ſunt deterriti, qui, quodvis privilegium voluntatis violandi metu, eandem in actib⁹ tum imperatis tum elicitis poſſe cogi, aſſerere verentur. Violentiam quidem in hiſce pati eſt impoſſibile. Actiones quæ ex metu fiunt, ſunt voluntariæ. Unde paricidii *Alcmeon.* ex timore petitâ excuſationem apud *Euripid.* ridiculam jurè cenſuere ipſi Philoſophi Ethnici: creta tamen notanda eſt iſta quorundam lex, quæ irritos reddit matrimonii contractus, qui fiunt ex metu cadente in conſtantem virum. Unicus actus eſſe poterit expreſſa finis & mediorum volitio, non obſtante cauſalitate inter hiſce volitiones à nonnullis aſſignata. Impoſſibilis qua talis poteſt eſſe velleitas interim non intentio efficax.

7. Humani actus à morum regula, cui conſoni vel diſſoni, moralitatem hauriunt. quænam tamen ſit iſta regula diſſidium inter Orthodoxos eſt vexatiſsimum: pro liberrimo Dei beneplacito ſtant *Thiſſ.* & *Retorſart.* enthei religionis reformatæ athletæ, ſequuti *Cyprian. Auguſtin. Athanaſ. Calvin. Zanch. Muſcul.* &c. pro natura rationali militant, *Paræus, Rivet. Maccov. Alting. Wendelin.* &c. Sunt qui, & in medio relinquere videntur *Tilen. Melanc. Peirel.* non ſumus neſcii, quicquid elegerimus, rationum pietate juxta & robore mixtiſsimis pondetibus premi: idcirco nodum dignisſimum cujuſvis opponentis digno cuneo ſubmittimus: ſic enim nobis ex argumentorum undiq; conſligentium attritu, lucis ſtricturas & verbera quædam nobis pollicemur. Minimi peccati natura eſt mortifera, & à ſolo Deo remitti poterit: quod juxta & alias veritates inter Pontificios & nos controverſas ſuccincte & nervoſisime ex ſcripturarũ & antiquitatis junctiſsimis

ſimis ſuffragiis, pro more ſuo evicit noſter *GVL. GVILD.* in compendio Controverſ. quicquid oblatret invidia, quæ velut ignis alta petit. CHRISTVS naturam humanam abſq; peccato & impeccabilem aſſumere debuit. cum *Lomb. Thom.* ad 3. diſt. 12. *Capreol. Becan.* in Theol. Schol. part. 3. Tract. 1. cap. 12. quæſt. 3. & omnibus reformatis contra *Scot. Durand. Remonſtrant.* &c. Omnes infantes fœderati in infantia morientes habendi electi. cum *Synod. Dordrac.* cap. 1. art. 17. Nulli electi irregeniti habere poſſunt vel motus fidei ejaculatorios. gratia refrænans tum naturalis tum ſupernaturalis in Electis ſpecialis eſt, & diſtincta ab ea qua coercentur reprobi. An vero hæc diſtinctio in Electis fœderatis & non fœderatis obtineat; malumus in præſentiarum ἐπέχειν cum clariſsimo *Voet.*

8. Ad univerſos Adæ poſteros peccati originalis reatum dimanaſſe contra *Pelag.* aſſerimus: fœde nihilominus hallucinatur, *Matth. Illyric.* qui ſubſtantialem diaboli imaginem iſtud peccatum eſſe ſtatuit: merito pariter vapulat *Origen.* quod illud ab actuali ante corporis animæque conjunctionem perpetrato profluere voluit: ultra juſtitiæ originalis carentiam, poſitivam dicit qualitatem, actualis peccati fomitem: non ſolum juxta Orthodoxos, ſed etiam *Gregor. Ariminenſ.* in 2. diſt. 30. & 31. pro hoc adducens *Holchot. Gabriel. Enriq. Altiſiodor. Almain. Naclan. Magiſt. Alenſ. Ocham.* Num peccatum originis ſit majus quovis actuali? An ſi aliquis communi lege non deſcenderet ab *Adamo* originale contraheret? An *Eva* duntaxat, *Adamo* non peccante, Filii labe inquinarentur? An ex eo præciſe quod *Adamus* peccaret, *Eva* pollueretur? cum vaga per innumeras paginas de his fluctuet diſputatio, curioſus diſputator curioſas haſce quæſtiunculas pro libito exagitet.

9. Actus voluntatis ut imperatus, poteſt tranſire de bono in malũ, de malo in bonum, de malo in non malum, de bono in non bonum. Unus idemq; actus poteſt eſſe ſimul bonus & malus moraliter. Dantur actus in ſpecie indifferentes, non in individuo: licet oppoſitum tueri ſit facillimum. Peccatum nec antecedenter nec in eodem inſtanti, in quo committitur, remitti poteſt. contra *Ioan. de Lug.* diſp. 7. de pœn. & ſect. 8. n. 12. Vitio ineſt malitia intrinſeca. cont. *Scot.* pec-

cata virtutibus infusis etiam naturæ adversantur. cont. *Medin.* Multa sunt vitia non solum contra rationalem, sed & sensitivam naturam. Actus boni bonitate, mali malitia, habitus superant. Qui operationē duplici præcepto vetitam, duplex motivum respiciente elicit duplici peccato specie distincto peccat. *Armenarum* & *Albanens.* psephismate peccata nostra dæmonis tantum, & non commaculatæ nostræ voluntatis sunt germina, ah miseros psephopectas. Sanctissimum Numen ex illius in omnem omnino actum simultaneo & prædeterminativo influxu, societate sceleris implicare vecerra solum furibunda sequela deduceret. Pontificii ex Orthodoxotū scriptis Deum peccati authorem esse eruere contendentes, crimen falsi multifariam committunt.

10. Conscientia proprie non obligat: facere attamen contra eam invincibiliter errantem intrinsece est malum. Si homo conscientiam vincibiliter errantem non deposuerit, sive ei obediat, sive non peccabit. Conscientia potest esse certa licet ex nullo actu certo certitudinē trahat. Ignorantia vincibilis peccati legitimus nunquam erit prætextus: imo frequenter specialem inducit reatum. Potest esse ignorantia invincibilis cum facti tum juris humani: contra *Wiliel. Parisien.* Tract. 1. de leg. cap. 21. juris pariter naturalis, non tamen quoad omnia: sic juris divini inter infideles; ita *Augustin.* lib. 7. de lib. arb. cap. 22. Imprudenter in *Almam* insurgit *Vasq.* disp. 117. n. 4. quod quandam ignorantiam etiam antecedentem ponat. Qui invincibiliter judicaret actum internum malum non esse, cognoscendo actum externum esse malum, peccaret eliciendo actum internum ex se efficacem hic & nunc cum effectu non conjunctum. ita *Sanch.* l. 4. sum. cap. 11. n. 11. contra *Granad.* con. 6. tra. 5. d. 3. sect. 3. Omnes satanæ rimantur profunditates Iesuitæ, & ut fatiscenti bestiæ throno ferant suppetias, omnia expediunt stratagemata; inter quæ est *Priscillianist.* dogma, viz. *Iura, perjura, secretum prodere noli.* Quo incrustato delphinū natare, hoc est suos cōplices æquivocationes, & mentales restrictiones docent: sed horum omnium effugia masculè enervavit, in Eruditiss. sua Differt. Theol. pro verac. *Guliel. Douglas* Lupanaria semper & ubique damnanda.

11. Datur

11. Datur poteſtas humana legiſlativa, ex natura rei non magis eſt in uno quam in altero, nec proprie pendet à Deo tanquam legiſlatore: ad eam nulla eſt neceſſaria ſpecialis Dei conceſſio: quod ſit hæc, non illa, duntaxat eſt ex hominis arbitrio: imo omnis poteſtas proxima cõdendi leges (niſi quis à Deo divinitus in regem aut legiſlatorem eligatur) provenit ex libertimo conſenſu convenientium in unam rempublicam. Nec Papa, nec Imperator Romanus habet in orbem juriſdictionem ad ferendas pro ea leges. Si Princeps juſtitia univerſali debeat imbui, etiam legibus ſubjici nervoſe evincit. *Kekerm. Syſtem. Polit.* lib. 1. cap. 3. rationibus à *Platone, Ariſtot.* &c. Et Imperator *Theodoſ. Valentin.* teſtimoniis confirmatis contra *Juriſt. Ulp. Plin.* in Panegyr. ad *Trajan.* poteſtas legiſlativa poteſt eſſe in fœmina. SPARTANORUM, VENET: GERMAN. legibus cum *Toloſan. Bodin.* &c. de arcendo peregrino à magiſtratu ſubſcribimus, ut adeo noverca evaſerit patria, ut dignum gubernaculis proprijs nequeat producere. Nulla juriſdictio civilis valide poterit extendi ad materiam quantumvis utilem quæ ſit Dei offenſa: contra *Machiavel.* & atheo-politicos. Ad alia, tam civilia, quam naturæ præcepta, ſe extendere valet. Actus interni ad ſummum erunt materia indirecta legis humanæ. Crimen ambitus eſt reipublicæ pernitioſiſſimũ juxta *Plat. Juſtinian. Modeſtin.* &c.

12. Nec intellectus actui, nec ſignis externis ullis, ſed ſoli volitioni obligandi, rationem legis deferimus: de cujus objecto licet recentiores juriſtæ non ſopiendas excitent lites, fidenter tamen actionem exteriorem præceptam huic volitioni terminandæ objicimus: communitatem illiuſque commodum reſpicere debet lex, & à publica prodire authoritate. Omnes juſti & injuſti ſunt legibus ſubditi. Eccleſiaſticos obligant leges civiles etiam qua tales & non qua Canonicæ, juxta *Dect. Viller.* &c. Dictamen ſuperioris imo ſupremi legiſlatoris ſine interventu volitionis non obligat. Vix ſanum Ieſuitæ *Suar.* videtur fuiſſe ſincipur; dum ſolus & omnis legis doceret eſſe vim obligativam: nam contradictoria ſunt. Non ſolum rei uſus nimius, ſed uſus qua uſus poteſt eſſe illicitus, etiamſi in iſtam rem obtineat quis jus perfectiſſimum. Duorum in eandem rem poteſt eſſe dominium in ſolidum.

13. Insulsè nugantur multi de jure naturali hominibus & bestiis communi; jus gentium solum ad hominem restringentes, sibi ipsis & rationi adversantur. Ius naturæ ut à gentium jure secernitur non importat notitiam ex terminis, nec obligationem nulla facta suppositiõe societatis humanæ, imprudens admodum est *Suar.* licet *Bellarm. Covarru. Albert. Pinell.* munitus suffragiis, à civili jure, gentium jus disterminans, per majorem & minorem respectu loci limitationem. Ius gentium est jus positivum quod usu exigente & humanis necessitatibus, gentes sibi constituerunt. ita *Justinian.* Statuta summi Principis vel alterius qui superiorem non recognoscit juris civilis sunt, cæteta juris prætorii. Inscite *Pithagorei* justitiam cum *Talione* confundebant. Legis vulgò naturalis nulla potest esse mutatio, nec dispensatio, contra *Sanchez.* lib. 8. de Matri. d. 6. n. 5. nec ulla proprie dicta epieikeia: contra *Cajet. Navar.* &c. Nulla quippe condescendentia in ea locum obtinet. Papa non potest dispensare in iis quæ sunt juris divini: etiam articulis fidei exceptis, contra *Panorm. Suar.* &c. Nulla lex prohibens aut præcipiens cadit supra præteritum. Lex irritans ad rem valide factam pro præterito potest extendi cassando pro futuro. Materia legis humanæ aliquando potest esse ea, cui, est grave periculum annexum. Omnis lex irritans non est pœnalis. Lex irritans fundata in præsumptione sæpe sortitur effectum, etiam præsumptione non subsistente, contra *Gom. Suar.* &c. rei propriæ furtum fieri potest.

14. In justitia distributiva geometrica valet proportio; qua personæ respiciuntur: se tamen propriis manibus dilaniaret, si προσωπολημψιαν admitteret. Æquum justitiæ commutativæ dictamen in *L. Mut. Schæ.* teste *Rutil.* viguit, quod ab imperito rem minoris quã valeret emere non permittebat. cujus κατορθωμα pariter evertitur, quando quis rem vendit pluris quã valet. Omnis lex qua talis odiosa: tamen multæ sunt favorabiles. Lex potest obligare ad subeundã pœnam etiam acerbam, ante judicis sententiam, contra *Sal. Suar.* ad legis civilis valorem non requiritur acceptatio populi, cum *Zabarell. Turrecrem.* contra *Dried. Armill. Angel.* &c. Nec absolute approbandæ nec improbandæ in politia torturæ, cum *Imp. Sever. Adrian.*

lib. 1.

Lib. 1. §. 17. digeſt. de quæſt. contra *Zepper.* lib. 3. expli. leg. *Moſai.* cap. 10. Poteſt advocatus cauſæ minus probabili patrocinari: tenetur interim clientem de jure ſuo certiorem facere, ita *Leſſ.* lib. 2. de *Juſt.* cap. 31. *Dub.* 9. *Azor.* Tom. 1. lib. 2. cap. 17. *quæſt.* ult. *Turrian.* &c. Quando probabilitas juris æque utrique parti favet, poteſt judex cui maluerit rem addicere: ſatius tamen litigantes ad tranſactionem cogeret, cum *Bann. Villal. Laym.* Num omnes contumeliæ in eundem hominem ſunt ejuſdem ſpeciei? Prob.. eſto.

15. Tam infanda paricidalia, ſeditioſa, cum omni humanitate, ſocietate humana & civili honeſtate pugnantia dogmata retinet hodie ſedes Romana: ut cum politiis reformatis ſit incompatibilis. Uſuræ mordentes non poſſunt à magiſtratu ſic determinari; ut licet in ſoli, ſic & in poli foro ſint licitæ. Præſtat rempublicam ab optimo viro regi, quam ab optimis legibus. Duella poſſunt virtutis ſingularem actum continere: prout vero vulgo fiunt, prorſus ſunt improbanda. Nemo damnandus ob culpam dubiam: & dum jura ſunt obſcura, favendum reo: igitur filius habendus pro legitimo, quamdiu dubium ſupereſt. Conſcientiam deponendi dubiã ſufficiens eſt poſſeſſionis titulus; ſi bonæ fidei fuerit poſſeſſor. Contractus eſt validus etiamſi adſit error, qui cauſam contractui dederit; modo non ſit circa rei ſubſtantiam, ſecus vero, ſi circa ſubſtantiam, vel ſubſtantiale motivum verſetur ignorantia. Ita *Azor.* lib. 1. cap. 18. quæſt. 5. *Sal.* Tract. 3. diſp. 4. ſect. 1. n. 4. Pura neſcientia cujuſvis circumſtantiæ rei promiſſæ intrinſecæ quantumvis notabilis non reddit votum irritũ, cum *Sanch. Baldell.*

16. Qui magiſtratus mandatum in cæde propriâ ob flagitium patratum exſequeretur, (quod ſub *Neron. Domit. Tiber.* uſitatiſſimum) naturæ decretum immaniter violaret. contra *Senec. Lipſ.* ad inducendam obligationem requiritur legis promulgatio, quæ per verba immediate circa materiam verſantia eſt ſufficiens; licet nihil reflexe de obligatione ſignificent. Princeps ab immemoriali habens talem conſuetudinem etiamſi inferior, poteſt licite tributa imponere. contra *Caſtr. Sal. Suar.* Ipſa lex abrogans futuram conſuetudinem poteſt per conſuetudinem abrogari. Conſuetudo legis abrogativa debet ad cõ-

munitatem spectare. Ea aliquando ab actibus bonis aliquando à malis inchoatur. Effectum sortiri potest privilegium priusquam privilegiato innotescat. Confirmatio ex certa scientia revalidat privilegia jam revocata. Iuramentum vi extortum obligat. ni monopolia instituenda mercatorũ arbitrio annona & pretia non sunt permittenda. Periclitanti patriæ, quam patri prius succurrendum. Ardentius à parentibus descendit, quam à liberis ascendit amor; Causam hujus satis idoneam assignavit *Aristot.* φιλαυτίαν. Rectior *Arcyt.* affirm. quam *Aristot.* Neg. difficilius in prosperis quam adversis servare modum. quod agricultura sit maximè secundum naturam, illiusq; reditus; innocentissimi cum *Aristot. Collumel. Veget. Virgil.* inter omnes acquisitiones illi primas deferimus. *Erasm. Roter. Appolon.* mercaturæ censuras proscribimus. Possessio legitima acquiri potest per cambium: cum *Matter. Javel.* &c. non vero per illud usitatum in Romana curiâ: referente D. *Scot.* q. 10. Art. 2. τα χρηματα sunt adæquatum liberalitatis objectum; inter solos Christianos perfecta contrahitur amicitia.

17. Synagogæ, & conventus publici, & in hisce suæ religionis exercitia Iudæis non sunt indulgenda; contra *Becan. Manual.* l. 5. cap. 17. *Sext. Medic.* lib. 1. de fæn. Iud. cap. 3. Neque extra synagogas observatio ceremoniarum, quæ sit Christianis scandalo; ut festi Tabernac. oblat. galli in fest. expiationis, circumcisionis, &c. Neque idcirco Iudæi servituti subjiciendi contra *Baldvin. Helvic.* pro Iudæo vel Mahumedano, contra Christianum sunt intestabiles. Tanta solũmodo cum eis familiaritas est concedenda, quæ eos in perfidia non confirmet, & contra fidem Christi superbire faciat, nec Christianos in periculum seditionis conjiciat. Liberorum Iudæorum invitis parentibus baptismus est mera ἐθελοθρήσκεια & κακοζηλία. contra *Scot. Themsen. Oldrad. Hostin.* &c. generalem eorum conversionem expectare suadent scripturæ, talem conversionem licet non ad fidem Christi, tamen à peccatis sperant ipsi *Rabbini* ut *R. Menass. Ben. Isra.* tractat. de resurr. lib. 3. cap. 3. Posteri Iudæorum decem tribuum nullibi ad formam vel speciem istius populi politice vel ecclesiastice considerati supersunt. Hæc, quæ *Benjam. Tudel.* & alii *Rabbini* fabulantur

ultra

ultra portas Caſpias & fluvium ſabbathicum, inacceſſa loca ab eis habitari, ad *Utopiam* Mori, & regiones in orbe lunæ ſunt referenda. Religionem Iudaicam hodiernam eſſe ſpecie ac forma diſtinctam, ab antiqua Patrum & fidelium in veteri Teſt. ſolide probatum dedit *Vedel.* in Tract. de Deo ſynagog. *Abiſſini* hodie circumciſionem obſervantes ſunt ſemi-Iudaizantes. *Aſſertio* viri eruditiſſimi *Forbeſ.* lib. 4. Hiſtorico-Theol. cap. 33. de converſione Iudæorum ſimul & Mahumediſtarum poſt exploſam idololatriam Romanam, & Antichriſtum in ordinem redactum, eſt conjectura non abſurda. Elias Thiſbites reverſurus non eſt in terram ad reſtituendos Iudæos, contra *R. Dav. Kimchi. Buxdorf. Jeſ. Syr.* & fluxæ fidei pontificios.

THESES PHYSIÇÆ.

ANtiquiſſimum illud emaculatæ Phyſicæ decretum de ternario principiorum corporis naturalis numero, tanquam indubitatæ fidei oraculum, per omnes ætates, perq; omnium bene ſentientium animos peragravit: licet non deſunt, qui, & illud dente auſint arrodere livido: abſoleta venantur, intermortua ſuſcitant, ſepulta effodiunt *Baſſ. Sennert.* &c. etiamſi poſt multos exhauſtos labores nihil conglomerent, præter inſectiles atomos. In *Franc. bon. ſp.* quinario, vel ſeptenario horum principiorum numero, ambitioſi tantum ſcriptoris elumbe ingenium, & laſcivientem luſum deprehendimus. Principia neque ex invicem ſunt, neque ex aliis, ſed omnia ex ipſis. Materia non eſt pura potentia, contra *Complutenſ.* eſt incorruptibilis, appetitiva omnium formarum, præſentium, abſentiũ, corruptarum, non corruptarum, poſſibilium, producendarum, non producendarum, & etiam æqualiter: cum *Maſtri. Ariag.* contra *Compt.* eas abſq; potentia diſtincta recipit. contra *Caram. Averr. Themiſt.* Poteſt naturaliter omni forma deſtitui; cum *Marc. Bon. ſp.* &c. Omnis materia ſublunaris eſt ejuſdem ſpeciei. quæ dicit *Scot.* de

corporeitatis forma, germanæ sunt gemmæ. Forma non est tota compositi quidditas. Per nullam potentiam poni possunt plures formæ substantiales subordinatæ in eodem subjecto. Dantur formæ accidentales, licet contrarium amplectatur *Des Cartes*, sed casum casum ducere non est mirabile. Unio distinguitur ab extremis contra *Valent. Conimb.* &c. estque unica in uno composito. contra *Hurtad.* &c. Non est eadem cum actione eductiva contra *Suar*, compositum partibus simul sumptis identificatur.

2. Quidam de lapide empti, in tanta opinionum inanitate & ineptia quandoq; versantur, ut risum ipsi *Heraclito* moverent: inter quos *Aliacens. Ragus.* omnem omnino à causis secundis abstulere influxum, & soli Deo tribuere universas causationes: è contra alii, ut *Lud.* a *Dol.* &c. nullum prorsus concursum proximum circa causarum secundarum effectus Deo reliquere: sed contra hæc vigilantiom somnia, dicimus causas secundas vere operari, & physicè, & Deum cum omnibus summis, mediis, imis concurrere. Neque magis imminuitur in rebus quas permeat vilissimis, quam sordidatur sol à fimento, quod intemeratis illustrat radiis. Mutua causalitas in eodem vel diverso causandi genere implicat. duæ causæ totales poterunt in unum & eundem effectum naturaliter influere. Idem se quoad secundum esse poterit producere. Existentia ad agendum indispensabiliter requiritur, ne ulla res poterit se vel inadæquate conservare; ex integra formalitatum inter causam & effectum correspondentia languide nimis adæquatæ causæ rationem deducunt *Vasq. Suar.* Dogma *Thomist.* quod etiam amplectuntur *Fons. Rub.* &c. de productione substantiarum ab accidentibus non ferendum sed feriendum: quæ etiam pro accidentium partiali respectu substantiarum concursu addocunt *Suar. Compton.* &c. parum congruæ sunt congruentiæ. expulsio formæ præcedentis est effectus formalis subsequentis. Duæ formæ intensissimè contrariæ sine influxu supernaturali in eodem subjecto hospitari possunt. præcisive se habet ad suæ mutationē causa efficiens, & hinc eandem à materiali secernimus.

3. *Scoto* obedientialem elevabilitatem latam evertenti, vel *Thom.* auctiori stipato satellitio eandem fulcienti succurrimus. Ingenti experientiarum

perientiarum confluge extorquere conatur *Occam. Alex. Bassol.* &c. Agens naturale naturaliter, licet nihil in medio, tamen in distans posse operari: sed ex pumicum cumulo non facile erit fontes elicere, cum ne gutta inveniatur in singulis. Licet quoad omnia intrinseca se tenentia ex parte causalitatis, actio, passio, & motus identificentur; datur tamen mutatio sine actione vel passione, & e contra. Idem ad loca adæquate diversa motibus contrariis non movetur. Creatio est distincta ab agente & termino, contra *Valen. Vasq.* neque est Dei volitio. creaturam creare, nihil absurdi. Consulto & solerter satis negotii nodum inter pontificios & nos non expediunt, qui de execrandâ missæ idololatriâ ex implicantiæ corporis polytopiæ argumento persuasi; (ut vetus est verbum ἐπ' ἀμφω dormiunt) nam licet illud tueri possit: aliunde, & punctius, & pressius, infanda ista abhominatio enervatur: potest, vel non potest corpus absolvi ab omni ubicatione, & duratione. Dari potest duratio indivisibilis, tempus divisibile respiciens, contra *Compt.* Nullum vacuum, sed supervacua dantur plurima. Motus in vacuo (si daretur) esset successivus.

4. Spatia vulgo imaginaria præscatent prærogativis, quarum pertinacissimam ab æterno in æternum existentiam prærodere valebit nemo: nihilminus perspicienter de iis philosophatus est *Fran. hor. sp.* cum entis nec realis, nec rationis, finiti, vel infiniti, creati, vel increati, minutissimum recisamentum in se contineant; est in iis IEHOVA gloriosus, juxta *Trismeg.* sphæra inintelligibilis, cujus centrum ubiq; circumferentia nusquam. perplexæ difficultatis arduæq; investigationis est continui structura, in qua Philosophi omnes meri germanique callipedes, assiduo moventes, & cursitantes, sed ne cubitum unum procedentes, vel promoventes, nos omni partium studio seposito pro *Aristot. Zenon.* vel neutro juxta decertabimus, Rarefactio fit per corpuscula introsumpta. Num dari possit creatura quæ sit actu infinita? Num omnium possibilium perfectissima? Num aliqua potuit præcessisse ab æterno? A. vel N. Generationes modo quo ordinarie fiunt, ab æterno fluxisse non potuerunt. Projecta non à medio contra *Simplic. Themist. Major. Perer.* sed ab impulsu moventur, qui nec sit gravitas, nec levitas: ad eum producendum per se non requiritur mo-

tus localis: sæpe fit, nunquam tamen desinit esse in instante. In resilientiæ motu obsistens conditionis solum, non causæ, officio fungitur. Cum sursum projecta eadem recidunt linea in reflectionis puncta quies privativa nulla est.

5. Omnium solem supergredientium cognitionem evolventes homunciones quisquiliarum & conjecturarum lubricum calcabunt tramitem: dum nitido volvuntur sydera cœlo: Perquam inscienter *Plat. Pythag. Phil. Judæus. Origen.* &c. Cœlos posuere animatos. Sunt corruptibiles cum *Democ. Salomon. Carthus.* vel incorruptibiles cum *Dionys. Greg. Nyssen.* fluidos statuimus cœlos cum *Just. Martyr. Basil. Ensebi. Ambros.* vel solidos cum *Damasc. Chrysost. Anselm. Cyrill. Hierosol.* &c. Sunt compositionis essentialis expertes, cum *Dur. Gab. Aurèol.* &c. vel componuntur ex materia & forma cum *Socin. Conimb.* &c. si componantur, illorum materia & quantitas sunt vel non sunt ejusdem speciei cum sublunaribus. Cœlum Empyreum est lucidissimum: Num dæmones & animæ damnatæ istam lucem videant? Probl. esto. Nec Planetæ nec stellæ fixæ lucem à Sole mutuantur omnem. In effectus sublunarium plurimos influunt corpora cœlestia, imo in hominem; sed sapiens dominabitur astris. Ægritudines, tempestates, diversam aëris temperiem probabiliter prædicere possunt Astrologi. Ostenta & prodigia, ex intentione Dei, aliquod certum & definitum ejus judicium circa res humanas nunciant: tamen absq; peculiari charismate, particularis προγνωστικὴ non est insuenda: Epicureum vero horum fastidium & Cyclopicum contemptum damnamus. Cœlorum motu cessante motus, & generationes sublunarium non cessarent. ita *Suar. Hurt.* Majorem navigationis velocitatem ab ortu in occasum, quâ ab occasu in ortum non pensiculate primi mobilis motui ascribunt *Casp. Peucer. Jul. Scal.* Maris fluxum & refluxum in lunam refundimus cum *Albert. Fromond.* &c. Mundus qui de facto existit, est perfectus, nec perfici potest essentialiter: nihilominus potest & potuit Deus aliũ quoad essentiam, substantiam, & accidentia meliorem & perfectiorem produxisse. Urbes esse, habitariq; in luna somniavit *Colophon. Zenophan.* Sol est terræ vicinior hyeme, quam æstate, sed ex obliquitate radiorum calefactio est minor.

6 Sola

6. Sola actio ad unionem terminata est generatio, quæ in instanti absolvitur, nullum illi ex conceptu suo cum privatione commercium. Causæ principalis rationem in hominis generatione non sustinebit materna anima etiam *Occam. Gabriel. Hurtad. Arriag.* argumentis suffulta. Corruptio unius nunquam est generatio alterius. In corruptione non fit resolutio usque ad materiã primam contra *Herva. Bann. Zanard.* & plerosq; *Thomist.* Homo ex virgine sine conjunctione cum viro ne ullis viribus imaginationis, vel quovis alio modo naturalitèr generari poterit: renitente ipso de re medica bene merito *Valesi.* fœtus quamdiu in utero inclusus per os nihil assumit, nec prima concoctione quæ omnium consensu ventriculo ascribitur, perfrui solet: & ut ventriculi actio tum cessat, ita etiam pulmones non moventur, nec cor aliquid aëris aut refrigerii per osà pulmonibus accipit, sed arteriæ quædam umbilicales cum puriore sanguine, spiritus vitales, & aërem ex spongiosa quadam carne membranis ipsius fœtus adnata eliciunt, & ad cor pro refrigeratione ejus deferunt: venæ autem umbilicales ex eodem uterino hepate meliorem attrahunt sanguinem; qui etiam proprio fœtus calore in vasis ac hepate melius alteratur, & ad nutriendum tenellum accommodatior redditur, fœtum: in qua secunda quasi concoctione excrementa etiam non aliter ac in adultis generata proveniunt, & abortiuntur: nam postquam tenellum hepar puriorem portionem attraxerit, crassiorem, ad lienem transmittit, bilem in folliculum fellis reponit, reliquum per meseraicas expellit ad intestina. Multifariam pro dispositione matris suæ fœtus in utero afficitur.

7. Omnia animalia habent certum & constitutum tempus pariendi, excepto solo homine, qui multiplex illud habere potest: nam septimo mense, & octavo, & nono parere potest, & quod plurimum decimo: nonnullæ etiam undecimum attingunt: non tamen semper fœtus æqualiter, in inæqualibus illis temporib⁹ editi, vitales sunt, & superstites manent. Uno partu 365, homines edi non possunt, quantumcunque operis dent, ut quam strenuissime nugentur de *Margareta* uxore comitis *Hennenbergii*, quæ omnia ex aucupiis monasticis traxere originem. Homo ante & post lapsum, forma, specie, & proprietatibus essentialib⁹ idem. Non parvi, sed pravi animi *Paracelsi.* præter hõines

Ada posteros, alia quatuor asservit genera, eaq; in singulis elementis collocat, in terræ visceribus Pygmæos & Gnomes, in aquis Nymphas & Undenos, in aëre Sylvos & Melusinas, in igne Vulcanos & Salamandras, sed ejus argumenta hactenus ita contusa, ut nec sint sanabilia a medico. Gigantes enim & monstra distinctas species nō constituunt. Nullæ dantur Neteides, nec homines in mari utriusque sexus. Fœtus abortivi sunt homines novissimo die resurrecturi. Abortus procuratio est homicidium. qui ex homine & diabolo, quales *Melusinæ*, *Merlinus Vates*, &c. geniti, secundum *Delri.* (si vera narret) sunt veri hōines; quorum generatio est univoca, quippe ex virtute plastica ejusq; vehiculo semine humano. Nullæ species rerum sunt deperditæ cont. *Paneirol.* Vagiones si tales dentur: modo sunt homines, modo non.

8. Ut temperamentum substantiam esse evincat *Fuchsi.* medicos Philosophiæ principiis non astringi petulanter effutit, pessimæ causæ pessimum effugium: sincera enim medicina principia agnoscit nulla, nisi quæ suggerit physica, juxta *Sennert.* Inst. Med. lib. 1. cap. 4: non feliciori ausu in planetas hominum temperamenta refundunt Astronomi, & quidam Medici, cum *Ptolem.* quos strenue evertit P. *Mirandul.* lib. 4. in Astrol. cap. 11. *Joan. Baptist.* Port. in Physiog. &c. rem acu neque tangunt ij, qui humorum redundantiis temperamenta deferunt. Nulla datur temperies æqualis quoad pondus, a cujus excellentia effectus miraculosi deriventur. Meritissimè à *Sennert.* vapulat *Mercat.* quod sanitatem in essentiali corporis constitutione collocet. Temperatura in qua calor & humor moderato excessu dominium exercent, naturæ humanæ habetur convenientissima. Calidi & sicci tabescentibus sunt proximi. Æthiopes quod natura calidissimi & siccissimi febricitantes ut plurimum extinguuntur. Si omnes animæ operationes inspexerimus, temperatissimus homo eas felicissime expedit, at ex intemperatis singuli in uno valent, in reliquis parum possunt: unde phantasia plurimum pollent Melancholici juxta *Aristot.* non vero isti quibus frigidum & siccum sanguinem concessit natura. Parvum caput etiā pro reliquo corporis modo cum *Avicen.* cont. *Galen.* laudamus, qui vero φοξοὶ cum *Hippoc.* non immerito suspectos judicamus.

9. In

9. In ventriculo ſolum fit Chyli coctio, non tamen is Chylo nutritur. Nec unica nec præcipua concoctionis cauſa eſt naturalis calor. Homo ex eo præciſe quod nutritur moreretur, nulla arte Paracelſico-Hermetica perpetuari poteſt, vel reſtitui juventus. *Raim. Lull.* Quinta eſſentia tantopere decantata eſt ſtupidæ mentis ludibrium. Quædam quæ ſunt craſſioris humoris facilius concoquuntur. Appetitus infælix menſura aſſumendi alimentum: egregie *Hippoc.* 6. Epid. Comm. 4. text. 22. Ἀσιτησις ὑγιης ἀσιτη τροφης ἀσιτη πονος. Utrum cibi vel potus repletio ſit noxior? Utrum largius alimentum ſit ſumendum tempore prandii quam cœnæ? non deſunt utrinque propugnatores & impugnatores celebres: hæc igitur in omnem fulcimus partem. Non perſpicienter diſtinguunt gluten (quod Arabibus eſt gambium) à tertiæ concoctionis rore alimentario. Corpora morboſa validiora ſunt ad ferendum inediam quam ſana. Homo magis vario & eo quandoq; pleno ſatiem, quam quodvis animal utitur alimento, hinc magis vehementius, frequentiuſque ſternuit. Qui diutius jejuni, ſumpto mox cibo rigent: quod partes refectæ ad cutem abigant bilem copioſe coacervatam in nimio cibi ſumendi intervallo. A corpore optime ſano & quam maxime ſecundum naturam conſtituto materia ſudoris non colligitur. cum *Diocl. Sennert.* contra *Valeſ.* ſudor diaphoreticus & gelidus eſt mortis prænuncius: ſudor naturalis debet eſſe calidus, idemque rufus, quod lintei deterſorii tinctura dignoſcitur.

10 Ἀιματωσις non hepatis ſed continuo lienis eſt opus: imo quandoque lien integro ſanguificationis munere fungitur, ita *Fernel.* lib. 1. Phyſiol. cap. 7. *Veſal.* lib. 5. cap. 9. *Schenck.* lib. 3. obſer. collocatur in ſuper lien interdum in dextro hypochondrio, & hepar in ſiniſtro, juxta *Schenck.* qui pro ſe habet *Aquap. P. Sperer.* ſuccum melancholicum lien non ut plerique volunt in hepate genitum, ſed mox ex venarum meſeraicarum trunco, antequã Chylus ad hepar feratur, per portæ ramum ſplenicũ attrahit. Cum enim vaſa exinanita fœdam ſibburram & illuviem è primis ſedibus ſibi alliciant, vix unquam citra gravem noxã pravo humore viſcera refarta, phlebotomia evacuat: neq; majorũ vaſorũ cacochymia ſectione tota eximi poteſt licet permittatur ante purgationem, ne medicamentum humores agitando,

Plethoricum corpus cõmoveat, atq; perturbet; pari ratione nec is qui tõtius corporis habitũ invasit succus pravus, sectione eradicatur: sed in his omnib⁹ cacochymia seu peculiari remedio, omnisq; vitiosa qualitas, catharticis est eliciendæ in morbis tamen venæ sectionẽ flagitantibus commodissimum tempus est morbi principium; necessario vero remora sunt succi crudi cibiq; inconcocti in primis viis; nisi sanguinis vitium sit vehementissimum: accedente pariter paroxysmo abstinendum, ni grave symptoma metuendum.

11. Medicum ad purgationem impellunt, morbi, horum causæ, symptomata & signa, morbi, ut pituitam, febris quotidiana, bilem, erysepilas & tertiana, melancholicum humorem, scirrhus & quartana, serum, pleuritis & ascites expurgandum monstrant: causæ sunt humores infestantes: signa vertigines, capitis gravitates, repentini dolores, aurium continentes soni, aspectus difficultates, obtusus auditus, sopor, nulla cibi sumptio, mentis alienatio, oblivio, palpitationes, per membra horror, lumborum gravitas, color præter naturam biliosus aut albus &c. Lenientia non vero elective purgantia medicamenta, cibo sunt admiscenda. Nulli humores demptis turgentibus, quamvis maligni, venenati, tenues vel copiosi, ante coctionem purgatione vel minorativa, sunt expellendi. Omnis evacuatio symptomatica non est mala. Falsissimum illud quod purgatoria quæ, & qua calidissima humores trahunt. Omne frigidum non condensat & resolutionem impedit; hordeacea enim farina licet frigida pituitates resolvit ac ejicit. Purgatio ad superiora est vomitus ab inferioribus materiam attrahens, à superioribus eradicans, qui ut in prospera valetudine biliosis est sæpe necessarius, ita in morbis quos bilis excitavit: cum humores quos nec vehementissima pharmaca trahunt, ex vicinis sedibus, & imprimis ventriculo, cujus fundo lateribusq; compressis quicquid eundem lacessit impetu in gulam excutitur, evacuet: ob eam causam tremore horroreque ante febres occupatis, cholera laborantibus, & cum quadam hilaritate insanientibus, epilepticis comitialibus, podagricis, & hujus generis aliis Chronicis ægritudinibus, decoctis competit: neq; solam choleram sed phlegma prolicit, stomachum mundificat, capitis gravedinem removet, visum clarificat, &c. si cum moderatione & facilitate exiftit.

12. Quo

12. Quod scriptum legimus in libro de salubri victus ratione, seu sit *Hippoc.* seu *Polyb.* hybernis sex mensibus esse vomendum, æstivis purgandum per inferiora; illud de purgatione citra medici operam facta intelligi par est. Lachrymæ sanguineæ de quibus *Dodon.* Item sudor sanguineus de quo *Aristot. Fernel. Benivin. Savanarol.* toto genere præter naturam dicuntur. Non expedite ex humorum differentiis morborum tantum arcessunt diversitatem, etiam in istis morbis, qui ex humorum putrefactione proveniunt. pituita licet frigida, crassa, & lenta, & nigra bilis, frigida & crassa, & multo quam pituita minor, quartana tamen est diuturnior quam quotidiana: ex eo quod humor alterationi sit aptior, quam siccitas: pituita etiam offendens naturæ magis congrua, quam natura sæpe in alimentum consumit. Senes excrementosi quia ob debilitatem minus concoquunt, multaq. per meatus excrementa contrahunt, & licet humor soporem inducat, tamen vigiles, quia solidis ipsis corporibus sicci dantur morbi, qui nec naturæ nec artis opera, in ullo subjecto curari possunt: affectus licet ejusdem rationis alterum tantum quam utrumq; infestantes oculum, graviores sunt & diuturniores. In pleuritide sola pleura interdum & non simul pulmo inflammatur contra *Plater. Zach.* &c.

13. Dormientibus dorso incumbentibus accidit quandoque illud quod Græci ephialten, Latini incubum vocant, quod nec est spectrum infestans & suffocans, nec meta imaginatio, ut vult *Fonsec.* sed motu cordis ex isto situ impedito halitus crassiores cor pulmonesque prementes tandem cerebrum invadunt, imaginationes monstrosas gignentes. Somni instrumentum & sedem esse cor non cerebrum cum *Aristot.* contra *Galen.* propugnamus. Noctu dolores magis intenduntur, quod anima secum ipsa otiosa corporearum perturbationum sensum absque diversione experitur; natura tamen in suis operationibus minus agit interdiu. Somnia ut plurimum corporis imitantur temperiem; quæ vero ex hisce in particulari concludunt, ut serpentes per somnia interimere, victoriam significare, vela videre, malum; dentes omnes habere sanguinolentos, mortē somniantis; dentes extrahi, mortem alterius: aves intrare domum, jacturam: flere, gaudium: mortuos videre equos, felicem rerum eventum: pinguēs videre boves, rerum abundantiam

abundantiam: mutum esse, celerem lætitiam &c. Hæc & ejusmodi *Antm. Mizald. Artemid.* sine mari fluctuantes, insomnes somniabant.

14. Chymia ante *Paracelf.* diutissime exulta inscitissime cum paracelsia confunditur: ars est fructuosa, cujus vi metalla specie distincta transmutari, & aurum verum fieri posse nobis non dubium. Ejus prosapia veri simillima à *Tubal Caine* deducitur: ridicule ejus artificiū è Cantico Canticorum non pauci eruunt. Arti hermeticæ tunc *Herm. Trismegist.* patrocinabitur, cum viginti quinque millia librorum illius nomine inscriptorum illius re vera esse demonstrabunt nuperi hermetici: nam tabula smaragdina eorū regula, sed lesbia, ne levissimum istī patrocinii erit indicium. Eorū de materia prima magna mysteria: elementorum in visibilia & invisibilia divisionem & semina, nec non nostrorū corporum innata astra, vitā sali, sulphuri, mercurio, vitriolo, arsenico, &c. concessam; de homine sententiam, cum quintam essentiam, ex firmamento & elementis extractam statuentem, spiritum sitim & esuritionē, universale medicamentum, homunculi artis Chymicæ beneficio productionem, de ente pugyco, castagrico, iliastro, inaudita, de stellis quibusdam se instar cucurbitarum & phiolarum habentibus, suis concavitatibus salem, sulphur & mercurium continentibus, atq; inde per operationem ætherii Vulcahi per emunctoria ventos emittentibus, & innumera talia omnium vanitatum vanissima deliria, quæ a *Severin. Croll.* cæterisq; istis novitatis heluonibus falsi scientissimis rusticissime tuentur, orco devovemus. Lapis ille philosophicus prout ab *Henric. Noll.* describitur, Chymeræ est per quam affinis.

15. Omnipotentissimi permissu sagarum & incantatorum libito & rogatu annuentem diabolum, morbos multos, & damna modo causis naturalibus adhibitis, modo absque hisce sua potentia & subita violentia hominibus immittere posse cum *Fernel. Joan. Lang. Cornel. Gem.* &c. admittimus. contra *Ioan. Vvier* licet sagæ putent & constanter se talia fecisse, nihil tamen reipsa præstant; nec inde earum minuitur reatus: adversus ejusmodi in rebus naturalibus nulla tutela contra *Diosc. Plin.* &c. Epsalmatores in Hispania, a quibus istos

morbos verbis ſanari teſtatur *Navarr. Delr. à Lapid.* ſunt meri ſacculatii & agyrtæ. nullatenus ſagâ blanditiis demulcere ne poceat aut ab alia ſaga amuletum contra veneficia petere conceditur: ni execrandum *Paracelſ.* principium arrideat ſciz. ſi Dei deficit auxilium, diaboli ſuccedat. Vi pariter & minis ſagas ad auxiliandũ impellere nefas ducimus, contra *Hoſtienſ. Panorm. Goff. Humbert.* Omnia maleficii ſigna in diaboli contemptum diſperdere eſt æquiſſimum, ſed ſpe conſequendæ ſanitatis talia ſigna inquirere & abolere illicitum: cum *Bodin. Eſti.* &c. contra *Delr.* Nam quæ pro ſe hic adducit tot propemodum continent lituras, quot vel lineas, vel literas.

16. Meteora ſunt corpora imperfecte mixta, aëris purgationi & liberationi ab halitibus malignis, itemq; ab inſectis, imo plantarum ipſiuſque hominis generationi convenientiſſima. Nulla meteora ſunt perpetua: Exhalationes meteoricæ ſingulis momentis & ſtupenda magnitudine attrahuntur, vel dimittuntur a ſideribus: non tamen ſemper æque copioſe: Eorum materia eſt mineralis, vegetabilis, vel animalis. Meteora ſæpenumero ſunt ſigna ſimul & cauſæ futurorum eventuum: unde fax cum habeat materiam rariorem & aridiorem, atq; acceſſione pinguium halituum foveatur, ſiccitatis eſt nuncia: Ignis perpendicularis præſagit ſiccitatem conjunctam cum halitibus venenatis & craſſis, à quibus & ſterilitas agrorum, & lues peſtilentiales oriuntur: Capra ſaltans ſignificat variam aëris conſtitutionem, propendentem modo ad ſiccitatem, modo ad ventos, & ita de cæteris facilis eſſet diſcurſus, ni inſtituti ratio revocaret. Dantur & meteora, quæ tantum ſunt apparentia; ut chaſma, halo, parelius, paraſelene &c. Longe leviori opera multorum de hiſce refutaremus quam repeteremus inepcias. *Virgil. Plaut. Propert.* &c. credideront iridem dimiſſis cornubus aquam à fontibus haurire, quæ poſtea per imbrem redderetur: miratur *Cicer.* de Nat. Deor. cur arcus cœleſtis ſpecies in numero deorum non reponatur, &c. Fuit iris ante diluvium, quod in terra terræ motus, idem tonitru in nubibus. Terra noſtra ſeptentrionalis minus terræ motibus obnoxia, quia ex frigore compactior parum ſit cavernoſa & poroſa. Unus idemq; ventus inæqualiter ſpirat. Venti orientales calidi & ſicci, ſeptentrionales frigidi & ſicci, occidentales ſub

frigidi & humidi, meridionales calidi & humidi. Terræ motus non provenit à vento quocunq; modo terrâ intrante contra *Archela. Callisth. Metrod. Chiu.* venti anni temporibus contrarii ἐπὶ πολὺ spirant. Maris salsedo navigationi non parum conducit.

17. Ni rixandi cacoethes multos austero impetu transversos abriperet, unanimes faterentur omnia tum permanentia, tum successiva, intrinsece incipere, per additionem graduum vel homogeneorum, vel heterogeneorum intenditur qualitas. Datur antiperistasis, ratione cujus naturalis stomachi calor hyeme quam æstate existit intensior. Similis in simile actio nulla est. Nullius calculatoris insultus agentium reactionem prosternunt. Dantur quatuor elementa quæ sunt corpora simplicia, in suis locis nec gravitant nec levitant: hisce singulis correspondet una qualitas prima in gradu summo: in mixtis non manent elementorum formæ contra *Philippon. Camerar. Gnarc.* & ingentem medicorum syllabum, qui in hoc puncto omnibus & opportune & importune bellum indicere non verentur. Ejusdem speciei sunt qualitates elementorum symbolicæ: elementorum dissymbolorum non datur unius in aliud immediatus transitus. Gravitas & levitas non sunt gravium & levium essentiæ contra *Arriag.* qui author hic de æquali omnium gravium descensus velocitate ut alibi sæpe ex suis experientiis, nihil nisi vacuo folle spirat mendacia. Motus violentus velocior est in medio quam in principio, vel in fine.

18. Rationalis animæ naturam eruendo solenniter & solerter delirabant antiqui *Herac. Zen.* ignem esse, *Anaxag. Anaxim.* aërē, *Democ.* rotundam atomorum congeriem, *Hippoc.* spiritum animalem, *Emped.* sanguinem, alii aliud, sed ut rite *Plat.* in Phæd. non est quod ob hæc quisquam formidat, ne animam corpore egredientem ventus dispergat, etiamsi non sereno cœlo sed ventis vehementius flantibus moriatur: nam est substantia spiritualis, incorruptibilis, immortalis, vel fit ex traduce, cum *Martin. Timoth. Bright. Maisn.* &c. vel immediate à Deo creatur, & corpori infunditur, cū *Jun. Baron.* &c. Nulla datur vegetativa vel sensitiva anima in homine à rationali distincta, hæc enim omnes omnino partes & solidas & fluidas informat. Deformes pariter & enormes, de aliarum animarum partibus congerunt quisquilias:

Nos

Nos in plantis, & insectis animæ divisibilitati, in sensitivis perfectis indivisibilitati, vel divisibilitati, & hac suppositâ, partium homogeneitati, vel heterogeneitati suffragatur. Spiritus vera ratio nec in indivisibilitate, nec penetrabilitate, nec in dependentia à materia constitui debet. Creato & increato enti communis vitæ competit conceptus; nec tamen is in actione ex specie sua immanente situs est. Omnes tum materiales tũ immateriales animæ facultates ipsi identificantur. Cognitionum & appetitionum vitalitas actionem vel unionem superadditã non excludit.

THESES MATHEMATICÆ.

QUod in scientia potissimum nihilminus quam potissimũ requirunt, qui Matheſi quam Physicæ metaph, &c. potiori jure scientiæ rationem deferunt: palmaria enim & Achillea argumentationum Mathematicarum specimina; ut triangulum esse æquilaterũ, ex eo quod sit constructum intra duos circulos habetq; omnia sua latera à centro ad circumferentiam: & triangulũ habere tres angulos æquales duobus rectis, quia producto uno latere angulus extrinsecus est æqualis duobus angulis internis: & ex æqualitate laterum deductio æqualitatis angulorum in triangulo & è converso. &c. quæ & ejusmodi universa longe infra politarum demonstrationum rationẽ, idq; vario imo ipsius certitudinis requisitæ defectu subsidere edocuit nos ex imis Philosophiæ visceribus petitum ratiocinium.

2. Natura duce quantitatum mensuras penes lineas perpendiculares in omnibus capiunt Mathematici, rationem hausit *Simplic.* ex *Ptolom.* Libell. quem de analemmate conscripsit, quoniam inter cunctas lineas rectas penes quas sumitur mensura, (quæ stata determinataque) sola linea perpendicularis est certæ determinatæq; longitudinis. Tres tantum sunt dimensiones ex natura rei in unaquaque re corporea. Lineæ rectæ ab uno puncto egredientes secant omnes circulos ex eo

puncto ut centro descriptos, in arcus similes. Omnium duarum planarum superficierum secantium pyramidem vel columnam rotundam trans idem punctum axis, si una æquidistanter basi, & alia non æquidistanter secuerit, communis sectio est linea recta transiens Pyramidem vel columnam orthogonalis super axem: ex quo patet quod sive circuli peripheria, sive sectio alia quæcunq; non in eadem superficie quamcunque secuerit sectionem in duobus tantum punctis ipsam intersecabit.

3. Curvi & recti exacta non datur proportio: ὡς ἔγγιστα igitur ad summum poterit quadrari circulus. Quadrati diagonia est incommensurabilis ad costam. Quadratum quod à latere rectum angulum subtendente ad triangulum rectangulum describitur, æquale est duobus quadratis, quæ à lateribus rectum angulum continentibus describuntur. Angulus rectus est magister quietis, acutus motus: Non omnis angulus major recto est obtusus, nec minor recto est acutus. Triangulum rectangulum æquale dato parallelogrammo fiet; si continuatis parallelis minoribus cathetus ab extremitate parallelarum continuatarum ducatur, & hypotenusa ab alterutra extremitate catheti ducatur ad alterutrum angulum parallelogrammi. Diametri in circulo possunt esse infinitæ, & omnes ejusdem naturæ.

4. Directi retrogradi subinde stationarii sunt planetæ quinque, quatenus in variis suorum epicyclorum versantur portiunculis: quoniam vero sol per eccentricum solummodo volvitur, in eo gressu nunc magis nunc minus concitato cieri, nunquam tamen stare retrogredive videtur: & Luna licet per epicyclum & superiore parte contra successionem signorum moveatur, at quoniam motus eccentrici (seu centri epicycli per eccentrum) est longe velocior quam motus lunæ per epicyclum; Atque idcirco luna tunc quoque velocius devehitur ab eccentrico in consequentia, quam revehatur per epicyclum in antecedentia, hinc tardius quidem movetur, non tamen ista prædicta affectio ei convenit. Mercurio, Veneri, tam eccentricus quam epicyclus convenit: Ipsorum tamen medii motus linea ita cum solis eadem, ut epicyclorum centra lineæ medii motus solis veluti illigata sint, itaq; hi planetæ non ulterius à sole evagantur, quam illorum epicycli patiuntur:

patiuntur: secus profecto ac superiores; qui propter diversas medii motus lineas, etiam ad usq; ipsam cum sole oppositionem à sole deflectunt. Circuli æquantes non sunt orbes reales, sed imaginarii, adinventi, ut irregularitas deferentis cujuslibet planetæ ad æqualitatem revocetur.

5. Ex majori vel minori parallaxi, de stellarum propinquitate aut remotione à terra pronunciant Mathematicorum filii: dempta Luna res est subtilis nimium negotii, quippe in Mercurio, Venere, Sole, Marte, difficillime aliqua notatur parallaxis, in Iove ac Saturno vix ulla; fixæ nullam prorsus produnt: nec mirum cum terræ semidiameter, quæ & pro communi mensura, & quasi pro duarum stationum dimensoratiarum interstitio accipitur, sensibilem quidem rationem ad Lunæ distantiam obtineat, ad cæterorum autem distantiam adeo exilem habeat, ut fere aut etiam omnino evanescat, nihilq; interst sydus aliquod ex terræ superficie aut ex ejus centro spectetur.

6. Cum Solis lux semper illibata, apposite magis terra quam sol diceretur eclipsin pati: hæc tamen continuo contingit ob lunæ interjectum, idque in noviluniis (miraculosa igitur ista in morte Christi,) nec vero in omnibus, ob lunæ latitudinem, ob quam aut supra ad boream aut infra ad austrum præterit, neque directe inter nos ipsumque solem transit, nisi cum in eodem proximove est nodo in quo sol: quod tantū evenit dum ambo luminaria sunt simul in capite vel cauda draconis. Lunaribus nihilo infrequentiores sunt eclipses (vulgo) solares, Licet luna sit longe sole minor, totales nihilominus ab ea patitur eclipses; ex eo quod lunæ saltem perigeiæ discus, apparenti solis disco exæquatur, secus se res habet in luna apogeia. Luna turbinatæ & conoidali terræ umbræ immersa eclipsin subit, neque tamē in omni plenilunio, quod projiciente semper umbram terra in ecliptica, luna ob deflexionem orbitæ ab ea, plerumque umbram præterfugiat. Sol quo vicinior existit principio ♑, eo magis accedit ad augem sui eccentrici; quo vero propinquior sit principio ♈, eo magis accedit ad augis oppositū; hinc plures describit parallelos, semicirculum Zodiaci borealem, quam australem perambulans.

7. Circulus lacteus, qui & galaxia dicitur est maximus in cœlo,

latitudinem & ſplendorem habens varium, in aëre non exiſtens ut *Ariſtot.* alioquin non cerneretur in quacunque orbis termini parte, tranſire præciſe per eaſdem ſtellas firmamenti; licet id experientia doceat, incedere perpetuo per Caſſiopeiã, Aquilam volantem, Sagittam Sagittarii, & caudam Scorpii, Centaurum, Argonauem, pedes Geminorum, Heniochum ſive Aurigam, & Perſeum ut clariſſime monſtravit *Ptolom.* Dict. 8. cap. 2. inſcite admodum ducunt multi ejus candorem, ex multitudine nimia ſtellarum exiguarum, & ad noſtrum viſum diſtincte non pervenientium, longe probabilius eſt nihil aliud eſſe quam partem ipſius firmamenti cõtinuam, aliis denſiorem luminis receptioni magis idoneam. Stellæ poſſunt etiã diurno tempore conſpici. Nulli dantur canales in cœlo. Stella iſta magorum *Matth. 2.* vel fuit miraculoſe producta, vel cometa, vel una ex ſtellis ordinariis quæ ſingularem curſum tunc tenuit.

8. Opticus ſolus bene videt, ejuſq; viſio ſimplex eſt admiratiſſima. Non penſiculate ſatis *Bapt. Port.* lib. 6. de Refract. cap. 1. uno inprimis oculo tantum, nos ſemper videre exiſtimat. Omne viſibile non eſt luminoſum, tamen radiat, idq; e quolibet ſui puncto ſphærice, vel hemiſphærice, indeſinenter, radio velociſſimo, finito, impermixto. Neq; omne corpus eſt viſibile, neq; ſolum corpus contra *Alhaz. Vitell.* eodem actu tenebras, & ſuam ignorantiã oculis ſubjecerunt *Stoici*, Locum nullum omni luce caſſum ſtatuit *Perſas*. Si duo viſibilia æquidiſtantia, id apparebit majus quod videtur radio perpendiculari, minus quod obliquo. Unus ſolum in pyramide optica rectus incidentiæ radius invenitur, quia in re viſa unicũ eſt centrum, unde unicus axis, qui prærogativa neceſſaria præ reliquis lineis eſt perpendicularis ut recte demonſtrat *Vitell.* cum omnis rei forma per pyramidem viſa, cujus conus eſt in humore cryſtallino, baſis in objecto viſibili: hinc cum quis curru vel navi velocitet vehitur, litora & montes illi moveri videntur: ex eo quod moto pyramidis faſtigio, cohærens baſis & ea quibus inhæret moveri etiam videntur.

9. Omne quod ſub majori angulo videtur, majus videtur; & quod ſub minori, minus, ex quo patet idem ſub majori angulo viſum apparere majus ſeipſo ſub minori angulo viſo. Non aggregatis radiis corporis

poris luminoſi, in corpore non luminoſo plus quã in medio, lumẽ ſenſibili fieri poteſt cont. *Vitell.* l. 10. opt. Theor. 56. Omnis lux reflexa etſi debilior luce prima, eſt tamẽ fortior quã lux ſecunda, æqualiter ab origine diſtantibus ambabus, & idem eſt in colore. Speculo quocunq; ſub aqua ſoli expoſito, figura ſolis videbitur quaſi duplicata. Ponatur oculus in ſpeculi concavi centro, & ſolus videtur. Speculum parabolicum omnium vehementiſſime urit, cujus ope *Archimed.* illius inventor, ex mœnibus Syracuſarum triremes Romanorũ combuſſit, & hujuſmodi ſpeculis ter ſervata eſt Conſtantinopolis a *Procl.* ſecundum *Zonar.* 3. tom. hiſt. Si duo ſpecula plana ſic collocentur, ut unum ſuper aliud orthogonaliter erigatur, in ſuperiori ſpeculo apparebunt rerum imagines uti ſunt, ſed in inferiori retro repræſentabuntur. Ex ſpeculo cylindrico elaborate fabrefacto èque tenui filo penſili, monſtroſæ inſtar ſpectrorum infernalium ſeſe offerunt imagines contemplandæ, quod reflexio à ſpeculo columnari retro acta fiat per radios admodum diſtortos & anfractuoſos: hinc effaſcinatores nectendis inſidiis aſſueti, nefarias obtrudere norunt offucias, idq; ex ſuperſtitioſo hujus ſpeculi abuſu. *Cardan.* lib. 4. ſub. p. 165.

10. Utrum in vere an in autumno figi debeat πρῶτος μὴν, non parum inter ſe contentionis funem protrahunt Chronologi; Iudæi anni initium celebrã: menſe TISRI, & mundum in autumno conditũ aſſeverant: cui ſententiæ aſtipulantur *Scalig. Dan. Origan.* &c. ſed cum Deus aliam anni epocham populo ſuo præſcripſit, ut illam anni rationem quam ab Ægyptiis acceperant, omitterent, ut habetur *Exod.* 12. mandans ut menſem ABIB, qui ſucceſſu temporis appellatus eſt NISAN, pro anni exordio obſervarent; quod poſtea in Eccleſiaſticis negotiis fecerunt Iudæi, & adhuc faciunt, videtur iſta ordinatio præſtantiſſima, adeo ut anni ratio, in qua fuit miraculoſa liberatio populi ex Ægypto cum natali mundi exacte congruat: ſed quicquid in hac lite dicatur in Chronologia ſemper oportet annũ Iulianum cogitare, & proinde auſpicari à Kalendis Ianuariis. Septimus quiſque annus Iudæis adhuc eſt ſabbaticus, & ſepties ſeptimus eſt jubilæus. Epocha urbis Romæ poſterior eſt epocha Olympiadum, annis quadraginta tribus.

11. *Platon.* in Tymæo mentem non aſſequuntur, qui ψευσεως iſtius de quinque corporum regularium figuris, cœlo & elementis à quibuſdam conceſſis patrocinium ab eo arceſſunt; eruditionis ille vir conſummatiſſimæ nunquam vere cœlo dodecaedron, nec igni tetraedron, aëri octoedron, aquæ Icoſaedron, hexaedron terræ aſſignavit: illius ſenſum dabimus in arena, idem enim reipſa voluit quod nos cœlum & elementa eſſe ſphærica: neque terræ rotunditati montes valleſque magis officiunt, (ſpectata ambitus amplitudine) quam malo arantio granuloſitas cutis. Terræ idem eſt & univerſi centrum, ad quod omnia gravia tendunt; unde nullus puteus, nulli parietes, nulla ædificia ad perpendiculum conſtructa, habent latera æquidiſtantia ſeu parallela: itaque ſi puteus conſtrueretur ad perpendiculum uſque ad mundi centrum, ejus latera continuo in anguſtum tenderent, donec in centro convenientia pyramidis figurâ abſolverent, cujus baſis os eſſet putei, vertex autem centrũ totius univerſi. Nullum pavimentum ad libellum fabricatum eſt planum. Vas aliquod ad radices montis altiſſimi, plus aquæ contineret quam in cacumine. Majores libræ exactius longe pondera examinant quam minores; idque ex majori partium à centro remotione, unde major motus pernicitas juxta *Picollom. Henr. Monanth.* &c. Illud *Lactantii, Firmian.* & vulgi mirum, quod antipodes in cœlum non decidant, eſt & mire & mere frivolum, quia ſua gravitate ſemper ad mundi centrum vergunt.

12. Plus eſt terræ quam aquæ in globo terraqueo, ſi profunditatẽ ſpectes, ſi ſuperficiem, par utriuſq; ratio. Maris ſuperficies terra tantum κατα δοξαν eſt altior. Terra eſt immobilis: globi terreni magnitudo rite exploratur per maximum circulum in illius ſuperficie deſcriptum, cujuſmodi eſt æquator & per ejuſdem diametrum. Tot ſunt meridiani in terra, quot ſunt differentiæ punctorum verticalium. Differentia meridianorum parit differentiam temporis. Omnes Zonæ ſunt habitabiles. Climata ſunt inæqualis magnitudinis. Oceanus, motus ſui periodum abſolvit horis 12. aut paulo ſerius; illius reciprocationes ſunt ſæviores quam maris mediterranei, ob patentiſſimam ejus magnitudinem, ſolis & lunæ vim efficacius excipientem. Maria præcipua quæ reciprocationem non patiuntur ſunt Balthicum & Liguſticum:

cum: idq; ex angustia alvei, profunditate, vel fundi saxositate. Mare Caspium potius lacus quam mare dici debet. Separata semel ab aquis terra, vi naturæ fieri non potuit universale diluvium.

THESES METAPHYSICÆ.

IUnctissimis Philosophorũ suffragiis communi potius commodo quam juri Metaphysicæ litantibus, facta est ea copiosissime inops, Terentiani quodammodo instar parasiti, omnia, neque quidquam habens: erit tamen ens ut a materiali abstractum, & ad spirituale contractum; consensu irretorto illius objectum. Nunquam non perperam per oppositionem ad chimæram explicabitur Ens, rectius possibili identificatur, licet possibile & ens hac oppositiõe orbari nequeunt. Pollet ens attributis, sed à se indistinctis, & quæ sunt sibi invicem attributa: ejus unitas per negationem unionis cum alia re quæ sit adæquate eadem cum ipsa, est explicabilis: non tamen est formaliter negatio. Inter unum per se & per accidens datur medium quod istam divisionem è medio tollit. Plura ut opponuntur uni sunt unum. *Aureol.* in 1. dis. 19. artieul. 2. Verum transcendentale vult esse ens in quantum fundat negationem entis apparentis. *Suar.* dis. 8. Met. se. 7. n. 24. Idem statuit verum quod cognoscibile: non tanti est hæc liticula, ut soliciti simus quid dicatur: falsa sunt vera transcendentaliter. Entis bonitas est amabilitas. in rebus nullum prorsus ordinem ad materiam dicentibus, imo in ipsis angelis dantur plura individua solum numero distincta: unde istud *Thomist.* corruit fundamentum quod individuatio tantum sit à materia signata. Ens ut sic ab æterno nullum esse quantumvis diminutum distinctum ab esse idæali & virtuali in Deo ut cognoscente & causa dicebat contra *Albertin.* &c. creaturarum existentia ab earum essentia nec realiter nec modaliter est distinguenda contra *Cajet. Capreol. Albertin.* &c.

2. Ex ſtupendo incarnationis Myſterio effulſit retruſa ſubſiſtentiæ notitia, ad quam cæcutiebat oculatiſſima antiquitas: ſed vel naſo caret, vel nimia laborat gravedine, qui olidas *Durand. Cajet.* impoſturas non ſtatim ſubolfaceret, qui ſubſiſtentiam in creatis non diſtingui realiter à natura magis quam in divinis aſſerunt. per duplicem negationem naturæ ſuperadditam illius rationem nunquam exhauriet *Scot.* Eſt quid poſitivum, cui muneri natura ſuum terminũ & complementum debet ultimum. Duplici propria, vel duplici aliena, vel una propria & altera aliena ſubſiſtentia, poteſt ſimul terminari eadem natura. Subſiſtentiam creatam uniri poſſe hypoſtatice alteri naturæ eſt probabile, contra *Lug. Valen.* &c. cujuſvis compoſiti ſubſtantialis ſubſiſtentia eſt ſubſtantialiter multiplex, materiæ, formæ & unionis ſubſiſtẽtias partiales complectens. Natura omni ſubſiſtentia orbata exiſtere valet. Actiones ſunt ſuppoſitorum, nec tamen ſubſiſtentia eſt vel inadæquatũ operationum principium. A re cujus eſt ſubſiſtentia emanative oritur ipſa: etiamſi duæ naturæ humanæ unica tantum ſubſiſtentia terminarentur, eſſent nihilominus duo homines: ſed ſi una natura duabus terminaretur ſubſiſtentiis, eſſet ſolum homo unus.

3. A diabolo, apoſtatis, infidelibus, Pſeudoprophetis, ſubinde edi poſſunt mira miraculorum mimica, quæ præſtigiis opponuntur: cum tamen ſolus Deus ut cauſa efficiens directa & phyſica, vera edit miracula. Ex hiſce ſolis perſplendida & fulgentiſſima iſta veritas de tremendi & omnipotentiſſimi Numinis exiſtentia conficientiſſime deducitur: licet hujus ſolidiſſima alia ſint fundamenta ex puris puræ & defecatioris rationis principiis, contra Libertinos, Rationaliſtas, Deiſtas, Ventricolas, Atheos & reliquos ex *Diagor. Lucian.* & *Epitur.* haris. Irregenitis obtingere poteſt peculiaris inſtinctus, quo in illis excitetur particularis fides eventus miraculoſi. Omnes Prophetæ & Reformatores extraordinarii non ediderunt miracula: per ſe ſine verbo, non ſunt indubitata veritatum teſtimonia. qui vel miracula nunquam fuiſſe in vera Dei eccleſia, vel continuo debere eſſe autumat, ipſe non miraculum, ſed ſummum erit prodigium. Abſq; fundamento canonizantur illi, multo magis, ob edita ſolum miracula. Non ſine peccati noxa poterit Chriſtianus à Deo hac tempeſtate petere, ut religionis

gionis controversias per miracula determinet: Nec tamen cum sæculo Apostolico cessavere miracula: nec terræ quies in medio universi, aut cœlestium rapidissima gyratio est miraculum. Christi jejunium, *Matth.* 4. præcessit Miraculum in *Cana*: tamen istud ad nuptias fuit Miraculorum initium contra *Baron. Niceph. Sozom.* Lubentes *Gerson.* assentimur, si ætas nostra fidei & moris inops habeat miracula, incredulitatis nostræ signa sunt, & damnatiōis (nisi melioremur) indicia.

4. Nesciunt quanta nesciunt qui ullos speculative & directe Atheos esse contendunt; certo persuasi nullum esse Deum nulli sunt; non obstantibus cujusvis sceptico-remonstrantis argutiunculis Socinianorum vitula arantis: omnes tamen omnino homines propter naturæ corruptionem quamdiu non convertuntur dici possunt Athei. Injectiones quælibet puræ diabolicæ istius hominis Atheismi non sunt dicendi, qui invitus patitur tales satanæ colaphos. Apud omnes qui humanitatem non exuerunt & certis legibus vixerunt, punitus fuit Atheismus. Socinianismi hæreses esse omnis Atheismi barathrum strenue evincit *Stapleton.* Quibus hoc in puncto, valde affines sunt Enthusiastæ universi, præsertim *Henric-Nicolaitæ, David-Georgiani.* Atheismi gradus summus cadere potest in electos nondum actualiter vocatos & conversos. Scientiæ & conscientiæ contradicunt *Less. Mers. Lindan. Petrei. Prateol. Fenardent. Ross.* & alii ex pontificiorum corte qui reformatæ protestantium religioni Atheismum affricare student. Feliciter *Campanell.* Atheismum explodendum intendisset, nisi levioris errantisque animi specimen in suis inventis; naturæ & rationi nimiū deferentibus multis acyrologiis involutis reliquisset.

5. Novum istud εὕρημα papistico-verronicum (quod tamen prius prodidit nullius notæ nebulo *Gunter.*) quo homines ἀλόγους & tanquam equos & mulos se habere volunt, sine ullo ratiocinio vel consequentiarum nexu circa res divinas æquissime profligatum censemus. Theologiam tamen scholasticam quæ heri & nudiustertius in scholis papatus obtinuit, tot fluctuationes & vertigines, falsitatès, contradictiones, plaustra inepciarum, volumina nequitiarum continentē, juxta abominamur. Cum patrum acutissimo de Deo etiam vera dicere pe-

riculoſum fatemur: eum eſſe actum puriſſimum ſimpliciſſime ſimplicem dicimus, cuius omnia attributa propria ſunt eſſentialia cont. Audianos, Anthropianos, Vadianos & Vorſtianos &c. Eſt Trinitas in in unitate cont. Tritheitas, Samoſiteneanos, Photinianos, Servetiãos, Arrianos, & hic tergiverſantur & cauſam produnt Pontificii, dum in tanto ſalutis momento traditione non ſcripta nituntur: quare merito hic irridet *Smalcius, Hoſſi. Week.* & reliquos traditionarios. Filius à Patre eſt ab æterno genitus, ejuſdem cum eo naturæ & potentiæ cont. Socinianos, &c. Sp. Sanctus à Patre & à Filio, & non tantum à Patre per Filium procedit contra Græcos.

6. Solus actus divini intellectus non eſt providentia, quæ ſe habet potius ut genus, quam totum, reſpectu prædeſtinationis. Ad omnia in particulari quæ fiunt ſive à ſolo Deo, ſive cauſarum ſecundarum concurſu, fuit ab æterno efficax Dei præfinitio. Scientia Dei unica, nihilq; aliud quam ipſe Deus intelligens, eam tamen reverenda ſpatioſæ antiquitatis authoritas firmiſſimis ſcripturarum innixa fundamentis, prout varie in ſua objecta egreditur, in ſimplicis intelligẽtiæ ſeu neceſſariam & viſionis ſeu liberam ſcientiã eſt partita, aſt Pelagianorum, Semipelagianorum ſive Maſſilienſium hæreſeon incruſtatores, totius gehennæ obſtetricante gynæceo, aliam moliti ſunt progignere mediam, fœdiſſimũ Pelagianiſmi ſpiraculũ, cujus virulento afflatu ipſi miſerrimi faſcinati, in apertũ æternæ mortis telum ſinu irruunt explicato, dum in inquinatæ voluntatis humanæ determinatione, unicũ iræ interminæ petunt effugium: ipſumq; beatiſſimum Deum è glorioſo Providentiæ Throno deturbare, & illius ſcientiſſimam ſcientiam, à vertiginis depravati noſtri arbitrii flexibus vacillantẽ reddere nituntur: ſed gigantæas Nimrodici hujus agminis molitiones, circa ſtructuram iſtã Babylonicam, iratum Numen multifariã diſpeſcuit, ita ut in punctiſſimis ſacri textus teſtimoniis, de prædeſtinatione & abſoluto decreto, ſparſim hæreant, ut in pampinis involvoli. Poſſibilis eſt ſpecies impreſſa Dei, Repugnat ſubſtantia ſupernaturalis.

7. Cum univerſus papicolatũ ſyllabus evicerit Deum à ſe alicujus dominium poſſe abdicare, & ita creaturis indigere, ut ex iis aliquod illi accreſcat emolumentum; utraque juſtitia commutativa & diſtributiva,

tiva, inter ipsum absolutissimum Dominum & misellam creaturiolam erit admittenda, quod erit ad Kalendas græcas. Iuri & justitiæ Dei non repugnat, ut peccata nostra in alio, & quidem innocente ac justo puniantur contra *Socin.* ejusque hyperaspisten *Crell.* Deus absque peccati prævisi tanquâ causæ, aut necessarii antecedentis, sui decreti interventu potest aliquem reprobare, juxta *Augustin. Bez., Marlorat. Dana. Wittaker. Gomar. Scharpi. Amef.* &c. quam veritatem ex limpidissimis scripturarum hausere fontibus, quantumvis lubricis & ambiguis insultibus, non parum studeant adversarii illimes denigrare aquas. Illud *Lombardi* quod Deus quædam potest de potentia, quæ non potest de justitia, est falsissimum, ni justitia juris divini positivi & revelati intelligatur. Potentia Dei est unica & simplicissima, infinita, invincibilis, inimpedibilis, incommunicabilis cum *Thalman. Polan.* cont. ubiquitarios. Impie omnino *Pontiss. Gregor. de Valen. Becan.* &c. *Lutherã. Screibl. Eckard* &c. *Calvino Wiclef. Zadeel.* &c. absolutæ Dei potẽtiæ negationem, impingunt, prout illa ordinatæ potentiæ contradistinguitur; reprehendunt solum periculosas, ineptas, temerarias, immo blasphemas nonnunquam scholasticorum disputationes, quibus sine fine, sine modo de Dei potentia disquirunt. Inter Dei omnipotentiam & creaturarum possibilitatem datur connexio necessaria. Verendum ne secundum dictum *Magistr.* scrutando nimium de profundo, eatur in profundum, igitur altissimæ demersæ explicationis actuum liberorũ celsissimi abyssum non intrabimus; solum perfectissimam ei libertatem absque ullo superaddito intrinseco competere dicimus.

8. Angelos dari non ratio sed fides suadet, num vero primo creationis die sint conditi? Num in cœlo vel terra? Num eorum numerus hominum sit major vel minor? Num cognoscant objecta per species, & si per species num universales an particulares? Num dependentes an independentes ab objectis? si independentes num à suorum essentiis dimanantes an infusas? Num habeant omnes omnium objectorum possibilium an duntaxat existentium? A. vel N. non quod in hisce vel quovis alio problemate à nobis posito, audaculorum & sciolorum ritu, quidpiam temere approbandum vel improbandum judicemus, sed contra servum istud pecus quod sine ratione cujusliber ju-

rat in verba magistri, ingenii liberi specimen ponimus: gravissimè pariter sunt sugillandi qui unamquamq; conclusiunculam Philosophicam, demonstrationum firmamentis solidari existimant. Angeli sunt incorporei, incorruptibiles, & simplices, operationes exercent absq; potentiis superadditis, actus alieni intellectus sunt illis ex natura sua occulti, & non quatenus subsunt imperio voluntatis cum *Suar. Tanner.* contra *P. Alphons. Ægid. Herv.* Substantia angeli non est species immediata ad cognitionem de Deo cum *Bonavent. Pesant. Bassol. Richard.* contra *Ferrarien. Zum. Alens.* &c.

9. Angelorum distributiones in tres hierarchias & novem choros, & fabulas omnes quæ ex hac fœcunda fabula nascuntur rejicimus: cum horum omnium nec vola nec vestigium habeatur in scripturis, angelorum pariter vel sanctorum invocationem, & adorationem, sive latria, dulia, vel hyperdulia, & errorū syrmata, quæ ab hisce sicut à variis vibiæ trahuntur, explodimus. Locutio angelica fit per species productas à solo Deo annuente angelo volenti suos conceptus alteri manifestare. A quovis actu in particulari & ab omnibus collective poterit cessare angelus cont. *Suar. Bann. Thom. Tanner. Ferrari.* Angelus est in loco per positivam ubicationem, independentem à corporibus, & divisibilem; licet ubique esset omnipræsentia soli Deo conveniret, poterit se ad punctum indivisibile coarctare: eorum plures simul in eodem loco esse possunt: non vero eorum quilibet in locis distinctis, & non contiguis; sed in numerosissimis aliis de angelis dissertationculis & aridis, scholasticis contigisse videntur quæ in *Maronis* epigrammate vocātur Atticæ febres.

10. Multorum Iudæorum captum non raptū superat natura dæmonum, dum ex *Adami* conjugio cū uxore quadam *Lelub* eos productos fabulantur: nō sunt omnino materiales, sive modo quo voluit *Plat.* vel *Porphi.* Hallucinantur pariter *Thalmudici* & *Cabalistæ* omnes: ex nullis se prævia sunt producti cont. *Mahum. Johan. Boemen.* è cœlo ante hōinis creationem propter superbiā erant deturbati: gravissimis ignis infernalis torquētur cruciatib⁹, neq; tamen hoc provenit à specie quavis intentionali, ab igne in eorū intellectu producta cont. *Albert. Bonavent. Okam.* &c. neq; ab alligatione ad ignem absq; libertate contra *Thom. Capreol.* &c

&c. nec per calorem in iis productum contra *Scot. Burlæ.* &c. nec per ſympathiam cum corporibus quibus dicuntur affigi cont. *Caminæ.* &c. nec eo modo quo animæ in corpore contra *Tauver.* &c.

11. Cujuſcunque ſexus, ætatis, conditionis homines fieri poſſunt energumeni non obſtantibus ſtramineis quorundam Atheorum, Libertinorum, *Semi-*ſaducæorum inauditiunculis. Ex ingreſſu & poſſeſſione hominum, abſque cruciatuum levamine, ſpeciali potiuntur ἐπιχαιρεκακίᾳ dæmones. Adverſus tales arreptiones nihil eõducunt antidota naturalia. Energumeni omnes non Lycanthropi, nec è contra: iidem qui inter illos nunc Phythonici, atque veteribus Corybantes, Bacchantes, Mænades, Sybillæ, Colophonii, Trophonii, Soractines, Gentiles ſacerdotes apud *Indos*. Ineptiſſime à nonnullis lunatici cum dæmoniaco-maniaco, & noctambulones cum lunaticis epilepticis cõfunduntur: Lunatiſini epileptici aut energumenici cauſam ex lunæ maligna quadam qualitate, aut ejuſdem tempore nativitatis infauſto ſitu, funiculis ex arena prorſus contextis trahunt Genethliaci. Ex poſſeſsione infantum peccati originalis reatum & ſtatum iræ ſolidiſſime concludunt Orthodoxi adverſus *Pelagian.* Nugatorium iſtud ſuperſtitionum choragium quo in dæmonum ejectionibus utuntur exorciſtæ in papatu carbone notamus.

12. Dantur ſpectra, quæ nec impoſtorũ aut ingenioſorum ſunt præſtigiæ, nec εἴδωλα arte Magiæ naturalis exhibita, nec fallaciæ læſæ phantaſiæ, aut illuſiones ſenſuum; attamen Hydrophobia, corybantiſmo, aliiſque corporis affectibus ſæpe ita ſtupefiuntur homines, ut putent ſe mira videre & audire, cum nihil revera ſit ejuſmodi: nec ſunt ſpectra animæ ſeparatæ juſtorum, ut in gratiam purgatorii, indulgentiarum, miſſarum, aliorumque ſuffragiorum pro mortuis & totius culinæ Romanæ diſputant *Delr. Thyræ.* quorum & ſimilium quæſtuoſa calliditas in talibus, ita optime convenit cum populi falſitatis emaci genio, ut videatur utrinque certamen conſtitutum, ut hi callide fallant, cupide iſti fallantur. Omnes à ſpectris occiſi non ſunt damnati. Poſſe diabolum etiam veri fidelis perſonam mentiri docet iſtud *Samuelis* exemplum. Spectra adjurata vel non adjurata de re quavis ſciſcitari illicitum, Cum de chimæris in vacuo bombinantibus

neque citius neque serius cum *Mendez*. de animis infantum ex limbo apparentib⁹ disputabimus. Ordinariam apparitionem angeli mortis ad cujus conspectum omnes moribundi exanimentur, inter alias Judæorum solennes nugas relegamus. Quæ narrantur de dæmonibus cœlestibus in cœlo sydereo, aut supra illud in vasto inani, *Psell.* & aliorum Graphicorum nugatorum vegrandes sunt conjecturæ.

Nitentium inaniarum scenam satis superque occupavimus.